ROMANUM
MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS:
IN QUO

Gemmæ, Idola, Insignia Sacerdotalia, Instrumenta sacrificijs inservientia, Lucernæ, Vasa, Bullæ, Armillæ, Fibulæ, Claves, Annuli, Tesseræ, Styli, Strigiles, Gutti, Phialæ lacrymatoriæ, Vota, Signa Militaria, &c.

Centum & septuaginta Tabulis æneis incisa referuntur, ac dilucidantur:

Curâ, studio, & sumptibus

MICHAELIS ANGELI CAUSEI DE LA CHAUSSE
Parisiensis.



ROMÆ,
Ex Typographia Joannis Jacobi Komarek Boëmi. AN. SAL. MDCXC.
SUPERIORUM PERMISSU.



Ludouicus Gimignanus inuen. *N. Billy Sculps.*

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE

PRINCIPI

LUDOVICO AUGUSTO BORBONIO

CENOMANENSIUM, ET ALBAMALLENSIUM DUCI,

PARI FRANCIÆ,

HELVETIORUM RHÆTORUMQUE PRÆTORI,

PROREGI OCCITANIÆ,

TRIREMIUM PRÆFECTO,

REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI EQUITI, &c.

MICHAEL ANGELUS CAUSEUS DE LA CHAUSSE FEL.



PERUM meorum primitias, qualescunque sint, TIBI vivæ, ac spiranti mei Regis imagini offero, PRINCEPS SERENISSIME, tuo nomini tutelari veluti numini illas ausus consecrare. Museum ex pluribus museis confeci;

dispersa tot seculorum spatio vetustatis monumenta in unum redegi; ut SERENISSIMA TUA CELSITUDO, *quæ veteris memoriæ studio summoperè delectatur; in his selectis priscæ ætatis reliquijs veterum mores, numina, superstitiosæ religionis insignia, variaque ad rem antiquariam tum sacram, tum profanam pertinentia possit eruditis oculis intueri. Licet exiguum, ac tenue fortassis videatur hoc munus,* PRINCEPS SERENISSIME, *in eo tamen multa continentur indoli tuæ cujusvis doctrinæ, rerumque antiquarum cupidæ consentanea. Jam enim à teneris annis rarissimam numismatum seriem in ditissimo cimeliarchio instruxisti, cui CL. V. Joannem Foy-Vaillant in re nummaria versatissimum uti Antiquarium tuum laudabili delectu præfecisti. Ille* SERENISSIMAM TUAM CELSITUDINEM *suum, omniumque litteratorum Mæcenatem prædicat: ille tuum in symbolica nummorum expositione, enodandisque obscurioribus historiæ locis promptissimum, ac solertissimum in-*

genium cunctis plaudentibus commendat. Nullum profectò studium sapientissimo, & eruditissimo LUDOVICI *MAGNI filio dignius; siquidem eò magis præclara Optimi Principis genitoris tui facta elucent, quòd tota illa veneranda antiquitas sive in adulatorijs Romanorum, Græcorùmve Heroum historijs, sive in fictitijs suorum numinum fabulis nihil mentibus nostris offert, quod ætas nostra innumeris* LUDOVICI *MAGNI victorijs semper nominanda oculis nostris penè credentibus illustriori sanè modo non præbeat. Stupenda illa quotidiè cernimus miracula, quæ priscis Heroibus attributa legimus; & si aliquando Historicorum synceritatem in minoribus factis suspectam habemus; quid posteri nostri? cùm mirabilem, ac memoratu incredibilem* LUDOVICI *MAGNI perlegent historiam. Minuenda profectò erunt, non augenda felicis nostri seculi prodigia, ut fidem tot, & tantis attoniti miraculis Majoribus suis incredibilia, sed vera scribentibus fidem adhibeant, animoque capiant, & contemplentur, quod oculis*

non poterunt. Etenim quis umquam fuit invictissimo Rege nostro virtutibus clarior? Ille hic est, qui Trajanum bonitate, pietate Antoninum, Constantinum magnanimitate longè, multumque superat. Optimus Princeps subditorum suorum commodis, publicæque utilitati semper intentus. Pius, ad orthodoxam religionem propagandam, hæresimque funditus extirpandam totâ mente, totis viribus, omnique virtute, studio, & authoritate incumbens. Maximus Heros, non solùm ob innumeros devictos hostes, tutosque amicos, & fœderatos, sed ob inauditum victoriæ genus, novisque, & illustrioribus dignum triumphis: LUDOVICUS MAGNUS *victoriarum, ac gloriæ plenissimus invictis suis armis plura subacturus semetipsum victorem hactenus inauditâ moderatione vincendo orbi pacem imposuit, potiorique jure, quàm olim Septimius Severus,* FUNDATOR PACIS *debuit acclamari. Fulminibus diù dimissis ultricem denuò armavit dextram Princeps regiæ Anglicæ Majestatis offensæ acerrimus vindex. Magnæ*

Britanniæ Regem ſanguine, religione, & amicitiâ ſibi conjunctiſſimum, regnis à perfidis ſubditis expulſum, inclytamque Reginam auguſtiſſimi Regis conſortem unà cum infante Principe paternorum regnorum hærede profugam regiâ magnificentiâ regijs ædibus excepit LUDOVICUS MAGNUS: *Jovis Pacatoris habitum illicò depoſuit, aſſumpſit Tonantis; Regem amicum protexit, adjuvit; Duces, copias, opes ei ad recuperandam Hyberniam tradidit, eumdem in alia regna quamprimùm reſtituturus. Hæc ſunt virtutis, ac fortitudinis exempla,* PRINCEPS SERENISSIME, *quæ Tibi proponuntur imitanda; perge, ut incepiſti: glorioſa Magni Parentis veſtigia tutò ſequere; Chriſtianiſſimi, & invictiſſimi Regis illuſtrem, generoſumq; victoriarum comitem audacter Te præbe; miram* SERENISSIMI DELPHINI ΠΟΛΙΟΡΚΗΤΟΥ *artem, & peritiam imitare: fac denique, ut Gallia noſtra, quæ in Te* PRINCIPEM JUVENTUTIS, SPEMque PUBLICAM *in-*

tuetur, MARTEM *Te sentiat* PROPUGNATOREM; *ut paternæ, ac fraternæ gloriæ, regiorumque triumphorum particeps esse merearis.* DEUS *invictissimos Heroas* REGEM, DELPHINUM, TE, PRINCEPS SERENISSIME, *totamque regiam familiam, quàm diutissimè servet incolumes; ut orthodoxa religio longè lateque propagetur; hæresis funditùs extirpetur; Reges fidei, ac veritatis amici quamprimùm in sua regna restituantur; Proditores de solijs iniquè occupatis citissimè dejiciantur; unicus, & verus* D.O.M. *cultus firmiter ubique stabiliatur; Galliaque inclyta Regum Christianissimorum, fideique Propagatorum sedes, tot & tantorum Heroum mater, Te Duce,* PRINCEPS SERENISSIME, *condignam victoriarum, ac triumphorum consequatur æternitatem.*

Vovebam Romæ in nostro museo Kal. Junij ANNO REP. SAL. MDCXC.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

REI antiquariæ ſtudium adeò noſtris temporibus increvit, ut vix ullus reperiatur Princeps, ullusque homo literarum, ac cujusvis ſcientiæ cupidus amator, qui eo in primis non delectetur. Teſtes mihi ſunt innumeræ ſummorum virorum gazæ, plurimaque privatorum cimelia, in quibus numiſmata, ſtatuæ, idola, gemmæ, aliave antiquæ ſupellectilis monumenta magno labore, magnisque expenſis acquiſita conſervantur. Roma, è cujus ruderibus, arvisque nova quotidie prodeunt miracula, totam Rempublicam literariam eruditis ſuis meſſibus ditat: illa plurimis gloriatur theſauris, ex quibus unum ampliſſimum, nobiliſſimumque inſtruxi, ut ſtudioſus exterus, cui Romanas inviſendi magnificentias copia non eſt, gaudeat ſe in hoc ſelectiſſimo Muſeo ea omnia poſſidere, quæ tot Principum, virorumque literis, ac doctrinâ præſtantium ædes, & bibliothecas exornant.

Totum opus in quinque Sectiones dividitur. Gemmæ, quæ primam & pretioſiorem ejus partem conficiunt, in duas claſſes diſtinguntur; altera Deorum, Illuſtriumque icones; altera figuras exhibet. Illæ omnes ſcalpturâ vel elevatâ & extante, vel cavâ reperiuntur: de priorum numero ſunt camei, qui ornamenti tantùm causâ tenebantur; poſteriores ſigillorum vicem gerebant, quarum multæ ſuperſtitioſæ varijs characteribus, figurisque inſignitæ tamquam amuleta geſtabantur. Etſi quotannis innumeræ gemmæ è Romanis agris eruantur, paucas tamen exquiſitiſſimi artificij hactenus videre mihi licuit; paucæ ideò hìc exhibentur, ſed omnes aut à celeberrimis artificibus ſcalptæ, aut alicujus capaces eruditionis.

Secunda Sectio versatur circa Deorum simulacra, Idola, aliasque Imagines æreas.

Tertia Flaminis Dialis, Pontificis Maximi, & Auguris Insignia, necnon Instrumenta sacrificijs inservientia proponit.

Quarta exhibet elegantes æneas Antiquorum Lucernas.

Quinta Miscellanea continet, Vasa nempe, Bullas, Armillas, Fibulas, Annulos ferreos, Claves, Tesseras, Stylos, Strigiles, Guttos, Phialas lacrymatorias, Manus æneas hieroglyphicis insignitas symbolis vota referentes, & Signa militaria; quibus subjungitur expositio antiquæ picturæ Barberinæ à Bellorio vulgatæ. Adjecta est in fine Dissertatio de Mutini simulacris.

Hæc sunt, benevole Lector, quæ in hoc opere pro ingenij mei modulo, ac tenuitate dilucidantur: si hasce meas lucubrationes, & conjecturas, qualescumque sint, Tibi, omnibusque studiosis arrisisse sentiam, mihique deinceps in alijs fortè adhuc ignotis, aut accessu difficilioribus cimelijs dominorum benignitate patebit aditus; partem alteram huic primæ addam, quæ confidentiùs prodibit. Superest, ut te moneam elegantem BB. Petri & Andreæ Lucernam olim Romæ apud Em.[mum] Cardinalem Leopoldum Mediceum extantem, nunc in celeberrima Magni Etruriæ Ducis gaza custodiri; necnon aliqua alia in hoc libro contenta in Urbe ampliùs non extare, sed à duobus annis vel circiter aliò translata esse; qualia sunt illa, quæ penes Ill. Abbatem de Gesvres Prothonotarium Apostolicum, Joannem de With Batavum, Abbatem Robertum Harpeur Anglum, & Petrum Andream Andrinum asservari notantur. Illi enim, cùm primam huic operi manum imponebam, in Urbe commorabantur, ex qua deinde ad patrios lares redituri migravere. Prolixiori sermone uti nec ratio postulat, nec otium permittit. Vale igitur, studiose Lector, & quidquid in hoc opusculo incultum est, id totum meæ tenuitati indulgenter condona.

NOMEN-

NOMENCLATURA AUTHORUM,

QUI IN HOC OPERE CITANTUR.

Ordine Alphabetico.

Nomenclatura Authorum.

Kircherius

Nomenclatura Authorum.

Pompejus

Nomenclatura Authorum.

INDEX

INDEX
CIMELIARCHIORUM,

E quibus res antiquæ in hoc Libro citatæ depromptæ sunt.

Jo. Angeli	Alberetti.
Princip. Gasp. de	Alterijs.
Petri Andreæ	Andrini.
Princip. Franc.	Barberini.
Petri Sancti	Bartoli.
Jo. Petri	Bellorij.
Principis	Burghesij.
Cardinalis	Carpinei.
Mich. Angeli	Causei De la Chausse Authoris.
Cardinalis	Chigij.
Princip. Aug.	Chigij.
Reginæ	Christinæ Augustæ.
Lucæ	Corsi.
Antonij	De Cavalerijs.
Raphaëlis	Fabretti.
Josephi	Felice.
Roberti	Harpeur.
Isidori	Huart.
Annæ	Le Feure.
Cardinalis	Maximi.
Mag. Duc. Cosm.	Medicei. Olim Cardin. Leopoldi.
Leonis	Potier de Gesvres Prothonot. Apostol.
Marchionis	Raggij.
Petri Antonij	Rolandi Magnini.
Musei	Rondaninij.
Marci Antonij	Sabbatini.
Leonis	Strozzæ.
Joannis	Vvith.

APPRO-

APPROBATIO.

EX præscripto Reverendiss. Patris Magistri Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Palatij Apostol. Magistri perlegi hunc Librum, cui titulus est Romanum Museum, &c. *Auctore D. Michaële Angelo Causeo De la Chausse Parisiensi, illumque typis commendari posse arbitror, cùm multâ, & variâ eruditione refertus sit, & nihil contineat, quod fidei Catholicæ puritati, bonisque moribus adversetur. Romæ hac die* 15. *Aprilis* 1690.

Raphaël Fabrettus J. U. D. Urbinas.

Imprimatur

Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Stephanus Joseph Menattus Episc. Cyrenen. Vicesger.

Imprimatur.

Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædicatorum, Sacri Apostolici Palatij Magister.

ROMA.

MICHAEL ANGELVS
CAVSEVS DE LA CHAVSSE
PARISINVS



Carolus Marattus pinxit. *N. Billy Sculp.*



ROMANUM MUSEUM

SIVE


THESAURUS ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO PRIMA

Gemmæ antiquæ.

ARTICULUS PRIOR

Gemmæ capita referentes.



INITIUM facimus à primo, & maximo 1
Ægyptiorum numine Eusebium; Augustinum, Apulejum, & Macrobium sequentes, qui Serapidem apud Ægyptios primum Deum appellatum, & maximum creditum fuisse referunt. Varro lib. 4. de Lingua Latina Principes Deos statuit Cælum, & Terram, qui Dei sunt in Ægypto Serapis, & Isis. Tot ferè nomina sortitus est ille, quot numina finxit vana veterum superstitio; eumdem enim creditum fuisse & Jovem, & Ammonem, & Solem, & Aesculapium, & Ditem,

& Nilum, & Oſirim; & Bacchum teſtantur Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 17. Herodotus in Euterp. Cornelius Tacitus lib. 4. hiſtor. Plutarchus in Opuſculo de Iſide, & Oſiride, Athenæus lib. 5. & Diodorus Siculus lib. 1. cap. 2. Communis tamen ſententia fuit Ægyptiorum, quam deinde ſecutus eſt Thales, qui principium, & ortum rerum omnium poſuit aquam, Oſiridem eſſe omne principium facultate humectandi præditum, utpotè cauſam ortus, & ſubſtantiam ſeminis, & ſic humidæ dominus naturæ vocabatur, ideòque ante ſacra in pompa ſemper præcedebat vas aquarium in ejus honorem. Auctor eſt Plutarchus loco citato. Repræſentatur autem hic Deus denſo capillitio, barbâ hirſutâ, cum modio, ſive calatho in capite. Calathus à verbo Græco ξύλον, quod lignum ſignificat, derivatus eſt; deſcribitur ab Iſidoro lib. 19. Orig. cap. 29. leve geſtamen ex ligno, vel canna, aut junco factum, in quo vel penſa ponuntur, vel flores leguntur. Modius etiam capiti Serapidis ſuperpoſitus fœcunditatem, & abundantiam denotat: *Vel quia* (ut ſcribit Ruffinus lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 23.) *cum menſura, modoque cuncta docet moderari, vel vitam mortalibus frugum liberalitate præberi*. Nunc defictitijs ad hiſtoricam tranſeamus veritatem. Serapis fuit Rex Ægyptiorum, qui cum varias artes eos docuiſſet, illisque oſtendiſſet cultum vitium, & aratrum, unà cum ſorore, & conjuge Iſide divinos honores meruit. Scribit D. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 5. Apim quemdam Argivorum Regem in Ægyptum navibus transvectum, cum ibi mortuus fuiſſet, factum eſſe Serapidem maximum Ægyptiorum Deum; fuiſſe autem Apim tertium eorumdem Regem teſtatur Euſebius in Chron. Inventa ab hoc ſapientiſſimo Principe vide apud Tibullum lib. 1. cap. 7.

2 Serapidis & ſororem, & conjugem fuiſſe Iſidem, unàque cum fratre, & marito divinos honores obtinuiſſe apud Ægyptios ſatis conſtat, & diximus: ſed quot nominibus invocata fuerit hæc Dea, quot ritibus conſecrata, diſce ex Apuleio lib. 11. Metam. Iſidem ſic loquentem introducente: *En aſſum tuis commota, Luci, precibus, rerum natura parens, elementorum omnium domina, ſeculorum progenies initialis, ſumma numinum, Regina Manium, prima Cælitum, Deorum, Dearumque facies uniformis, quæ cæli luminoſa culmina, maris ſalubria flamina, inferorum deplorata ſilentia nutibus meis diſpenſo: cujus numen unicum multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur Orbis. Me primigenii Phryges Peſſinunticam nominant Deûm Matrem; hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam: illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem:*

Cretes

Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam: Siculi trilingues Stygiam Proserpinam: Eleusinij vetustam Deam Cererem: Junonem alij: Bellonam alij: Hecatem isti: Rhamnusiam illi: & qui nascentis Dei Solis inchoantibus radijs illustrantur Aethyopes, Ariique, priscâque doctrinâ pollentes Aegyptij cæremonijs me prorsus proprijs percolentes appellant vero nomine Reginam Isidem. Pingitur hæc Dea cum coma torta, & reflexa, gestans in capite aliquando modium abundantiæ symbolum, aliquando perseam typum silentij, & veritatis, ei de stirpibus Aegyptiis maximè consecratam, teste Plutarcho lib. de Isid. & Osir. ὅτι καρδίᾳ μὲν ὁ καρπὸς αὐτῆς, γλώττῃ δὲ τὸ φύλλον ἔοικεν. *Quod ejus fructus cordis, folium linguæ speciem refert.* Et quæ duo simul juncta componunt veritatem. Lotus eidem sacer erat, cujus flos in se, ut docet Teophrastus lib. 4. & aperiendo, & claudendo Solis motum sequitur ab ortu ad occasum, Isis autem juncta religione cum Serapide, sive Sole plerumque habebatur pro terra, vel natura rerum subjacente Soli, si fides Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 20. Sistrum gestat, de quo Servius ad lib. 8. Aeneid. *Isis est genius Aegypti, qui per Sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus significat.* Apulejus lib. 11. Metamorph. describit ejus vestimentum stellis dispersis corruscans, quod in hac tertia gemma faberrimè videtur expressum aliquam Ægypti Reginam unionibus exornato collo, & crinibus reflexis sub Isidis imagine forsan repræsentante. Velo ejus capiti imposito noctis tenebræ innuuntur, quas Isis, seu Luna nocturno suo splendore illuminat, Noctiluca enim dicta est: stellis verò benefici astrorum influxus in hæc inferiora indicantur. Hæc Dea navigantibus prodesse credebatur, teste Luciano, unde servati ex naufragio pictas tabulas in illius templo ponebant. Velificia ferebatur etiam primùm invenisse, dùm amissum filium Harpocratem nave quæreret. *Certus dies habetur in fastis* (ait Lactantius lib. 1. cap. 11.) *quo Isidis navigium celebratur.* Existimabant veteres Isidem ferire perjuros, & illos maximè non servantes fidem per eam juratam. Ovid. in Ponto: 3

Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sederes focos.
Alter ob huic similem privatus lumine culpam
Clamabat mediâ se meruisse viâ.

Et Juvenalis Sat. 13.

Decernat, quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro:
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.

Isis filia fuit Inachi Argivorum Regis, quæ de Græcia veniens

Aegyptios litteras, leges, & inſtituta docuit, terrasque colere inſtituit, unde Terra nominata eſt, ut ſcribit Iſidorus lib.8. Orig. cap.11. Aſſerit Varro lib.4. de Lingua Latina Aegyptios ab Iſide prima rudimenta ſcientiarum accepiſſe, quod veriſimile eſt, ſi quidem ætate Moſis litteræ apud illos jam florebant.

4 Ammon ſic dictus à græco vocabulo ἄμμος, quod arenam ſignificat, ſub arietis forma in deſertis Libyæ colebatur, cui Bacchus templum miræ magnitudinis in arena conſtituit, eo quod ipſi in Indiam proficiſcenti apparuerit ille cum cornibus arietinis, & veſtimento lanicio, fontisque undam ſitienti ejus exercitui monſtraverit. Putant alii hoc nomen ductum à quodam Ammone Aegypti Rege galeam geſtante, cujus inſigne caput erat arietinum, unde κεϱατοφόϱος, ideſt, corniger vocabatur. Ovidius lib.5. Metamorph.

Sed grave Heroidum numen, ſed corniger Ammon.

Solebant enim Reges, virique illuſtres capita ferarum in armis ſculpta gerere ad terrorem hoſtibus incutiendum. Statius lib.3. *Ferarum rictibus horrificant galeas.* Meminit Euſebius lib.3. de præp. Evang. cap.3. Ammonis ſimulacri cærulei coloris caput arietinum habentis, quod in Elephantinopoli Urbe colebatur, cujus explicationem refert his verbis: Δηλοῖ δὲ ἀπὸ μὲν τοῦ κριοῦ πρόσωπον ἔχειν καὶ αἰγὸς κέρατα, τὴν ἐν Κριῷ σύνοδον Ἡλίου καὶ Σελήνης. τὸ δὲ ἐκ κυανοῦ χρῶμα, ὅτι ὑδραγωγὸς ἐν συνόδῳ ἡ Σελήνη. *Arietina igitur facies, caprinaque cornua conjunctionem Solis, & Lunæ in ariete ſignificant; cæruleus verò color ei attribuitur, quia Luna in ea conjunctione humidior eſt.* Eumdem enim eſſe Ammonem, atque Solem docet Macrob. Satur. lib.1. cap. 21. *Nec ſolus Leo (*inquit*) ſed ſigna quoque univerſa Zodiaci ad naturam Solis jure referuntur. Et ut ab ariete incipiam, magna illi concordia eſt. Nam & is per ſex menſes hybernales ſiniſtro incubat lateri, ab æquinoctio verno ſupra dextrum latus; ſicut & Sol ab eodem tempore dextrum hemiſphærium, reliquo ambit ſiniſtrum. Ideo & Ammonem, quem Deum Solem occidentem Libyes exiſtimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maximè id animal valet, ſicut Sol radiis.* Narrat Plinius lib.2. cap.103. Jovis Ammonis fontem in Illyrijs interdiù frigidum noctibus fervere. Plura vide apud Hyginum in fabul. Martianum Capellam lib.2. de nupt. Herodotum in Euterpe, Pauſaniam in Meſſan. & Lil. Gyraldum de hiſtor. Deor. ſyntagm.2.

5 Minerva, ſive Pallas providentiam ſignificat intellectualem, ut docet Cælius Rhodiginus lib.14. lect. ant. cap.18. diciturque virgo, ſive quia numquam conſeneſcit prudentia, nec ullâ inficitur labe, ſive, ut vult Diodorus lib.1. cap.2. quia eadem exiſtimatur aër, qui

non

non corrumpitur. Scribit D. Auguſtinus lib.7. de Civit. Dei cap.16. eam vel ſummum æthera, vel Lunam creditam fuiſſe; quam ſententiam confirmat Porphyrius apud Euſebium lib. 3. cap. 3. his verbis: Ὅπερ δὲ Ἀπόλλων ἐν Ἡλίῳ, τοῦτο Ἀθηνᾶ ἐν Σελήνῃ. ἔστι γὰρ τῆς φρονήσεως σύμβολον, Ἀθηνᾶ τις οὖσα. *Quod autem in Sole Apollo eſt, hoc ipſum Minerva in Luna; eſt enim prudentiæ ſymbolum inſtar cujuſdam Minervæ.* Præclarus hic varius lapis extans in muſeo noſtro commendabilis eſt propter induſtriam artificis, qui varios ejus colores mirabiliter in hoc opere diſtinxit, faciei, & colli albedinem expreſſit candidiſſimam; armaturam, galeamque auream; capillos verò ſparſos ad uſum puellarum Spartanarum, & flavos, ut apud Ovidium lib.6. Faſtor.

Nunc ades, ô, cœptis, flava Minerva meis.

Hæc Dea non artibus tantùm, ſed & armis dicebatur præeſſe, unde militaris, armiſona, & bellatrix dicta eſt, armataque ſæpiſſimè repræſentatur. Gorgona ei ponitur in thorace vel tamquam favorabile amuletum, quod eam faciebat invictam, vel quaſi terroris imago, ut vir ſapiens terrorem contra adverſarios geſtet in pectore, ut interpretatur Fulgentius lib.2.Mythol. In hac gemma Minervæ galea 6
pilis equinis adornatur, at in ſequenti anguis videtur ei ſuperpoſitus in ſignum ſalutis, & prudentiæ: alæ conveniunt etiam huic Deæ, vel quia eadem cenſetur aër, vel propter *acrem minimèque retrahendum ad res impetum*, vel quod *ad depellendam injuriam, atque opem ferendam ſatis eſt inſtructa, unde Victoria eſt appellata.* Si fides Phornuto, & à Græcis Νίκη Παλλὰς dicta.

Tertiam ejuſdem Minervæ exhibemus imaginem extantem pariter 7
in gemma exquiſitiſſimi artificii, quæ penès Abbatem Robertum Harpeur Anglum Romæ aſſervabatur. Imago huic ferè ſimilis è nobiliſſimo Rondaninio muſeo gemmarum antiquarum ditiſſimo deſumpta viſitur in Iconographia Caninij ſub Aſpaſiæ nomine, ſed veriſimilius eſt illam ad Minervam referri, niſi velimus dicere Aſpaſiam ſub ejus imagine repræſentari. Etenim quatuor ſymbola ſuper ejus galeam poſita Minervæ aſcripta fuiſſe conſtat. Noctuam in ſignum ſapientiæ ei conſecratam ſcribit Fulgentius lib.2. *In hujus etiam tutelam noctuam volunt, quod ſapientia etiam in tenebris proprium fulgorem poſſideat.* De Sphinge loquitur Pauſanias in Attic. deſcribens hujus Deę ſimulacrum. Αὐτὸ δὲ ἔκ τε ἐλέφαντος τὸ ἄγαλμα καὶ χρυσοῦ πεποίηται. μέσῳ μὲν οὖν ἐπίκειταί οἱ τῷ κράνει Σφιγγὸς εἰκών. *Deæ ſignum ex auro, & ebore factum, in galeæ cono Sphinx eminet.* Pegaſus Minervæ attribuitur, vel ut ſapientiæ, famæq; ſymbolum, vel quia illa Pegaſum à ſe domitum fræno illi impoſito Bellerophonti tradidiſſe fertur, unde

Frænatrix

Frænatrix dicta eſt; cui Corinthios templum exſtruxiſſe narrat idem Pauſanias in Corinth. Quadrigas ei convenire ſcribit Cicero lib.3. de natura Deor. quinque Minervas recenſens, inter quas unam Jove, & Coriphe Oceani filiâ natam, quam Arcades Coriam nominabant, & quadrigarum ferebant inventricem.

8 In hac eximia ſculptura exhibetur Apollo laureatus, juvenili formâ, citharam tenens: imberbis quidem repræſentatur, quia, ut docet Fulgentius lib. 1. Mithol. Sol, qui idem eſt cum Apolline, *occidendo, & renaſcendo ſemper eſt juvenior, ſive quod numquam in ſua virtute deficiat, ut Luna, quæ creſcit, & minuitur.* Crinitus pingitur, & ob promiſſos capillos dicitur intonſus. Horatius car. lib. 1. od. 21.

Dianam teneræ dicite virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium.

Acerſecomes vocatur ab Homero hymn. in Apoll. Φοῖβος ἀκερσεκόμης, velut intonſus, & liber ab omni perturbatione. Pauſanias in Eliac. pr. & Diodorus lib. 4. Apollinem citharæ primum fuiſſe inventorem referunt: ſed quare illius ſimulacrum manibus citharam tenens fingatur, rationem hanc reddit Suidas, quod Apollinis ſimulacrum ut Sol intelligatur, & dicatur eſſe univerſitatis hujus harmonia, cum cæteris enim ſtellis commixtus animalia gignit. Fulgentius verò lib. 1. ſcribit Apollinem ideò cum decachorda pingi cithara, ipſumque novem Muſis decimum adjici, quod humanæ vocis decem ſint modulamina. Credebant veteres Apollinem eumdem eſſe atque Solem, ſive oculum Mundi, & cum omnia facilè videret, illum ideò finxerunt divinationibus præeſſe, caputque illius laureâ coronâ cinxerunt. Etenim laurus vaticinationis erat ſymbolum, & ex eius crepitu, dum ardebat, obſervabantur rerum eventa; nam, ſi in ignem injecta ſtrepitum ederet, feliciſſimum erat ſignum. Tibullus lib. 2. el. 6.

At laurus bona ſigna dedit, gaudete coloni.

Contrà, ſi tacitè conflagraſſet, ſiniſtrum omen reputabatur. Propertius lib. 2. el. 16.

Et tacita extincto laurus aduſta foco.

Scribit Fulgentius lib. 1. laurum pulvinari ſubiectam vera ſomnia oſtendere, & Alciatus.

Præſcia venturi laurus fert ſigna ſalutis,
Subdita pulvillo ſomnia vera facit.

Sic & vaticinaturi laurum comedebant. Idem Tibullus lib. 2. el. 6.

. . . . . . ſic uſque ſacras innoxia lauros
Veſcar.

Hæc arbor utpotè ſaluberrima tribuebatur etiam Apollini indicandæ medicinæ

medicinæ causâ, cujus præſes hic Deus habebatur. Laurus enim, ſi fides Galeno ſimpl. med. lib. 6. deſiccat, calefacit, attenuat, aperit, provocat, incidit, emollit, digerit, & flatus pellit. Illa etiam in aqua madefacta eamdem aquam ſalubrem facit, teſte Conſtantino Cæſare lib. 2. de agricultura cap. 6.

Ferunt ſcriptores Aeſculapium ex Apolline, & Coronide natum 9
medendi artibus præfuiſſe, tantâque illarum peritiâ excelluiſſe, ut nonnullis defunctis vitam reſtituerit, eâque de cauſa fulmine à Jove percuſſum, ab eodem immortalitatis deinde factum fuiſſe participem, ut narrat Lucianus in Dialog. Pindarus verò poeta lyricus citatus à Tertulliano in Apolog. cap. 14. canit Aeſculapium ob avaritiam, quâ medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum. Barbatus exhibetur hìc Deus, etſi ſemper adoleſcentis Apollinis filius, unde ſcribit Arnob. lib. 6. adv. Gent. in ancipiti relinqui, uter eorum ſit pater, uter filius, imò an ſint generis, & cognationis unius. Aeſculapii ſimulacris baculum in manu attribuitur, quaſi ægrotantium ſuſtentaculum: ſerpens verò baculo circumvolutus, quod hi, qui medicina utuntur, renoventur ut ſerpentes, & quaſi ſenectutem exuant. Ovid. lib. 3. de arte am.

Anguibus exuitur tenui cum pelle ſenectus.

Refert Plinius lib. 29. cap. 24. ſerpenti multa ineſſe remedia, ideòque Aeſculapio dicatum fuiſſe: eidem etiam tribuitur corona lauri, quòd ei jus divinationis adjungitur, eumdem enim eſſe atque Apollinem docet Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 20. & Apollodorus ab eo citatus tradit in libris, quibus titulus eſt περὶ θεῶν, Aeſculapium ea de cauſa divinationibus, & auguriis præeſſe, quòd medicus commoda, & incommoda in corpore futura prænoſcere debet, juxta illud Hippocratis oportere medicum dicere de ægro τά τε παρεόντα, καὶ τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, ideſt: *Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura ſequentur*. Scribit Cælius Rhodiginus lib. 27. lect. ant. cap. 15. in templo Aeſculapii, quod in Epidauro erat, ægrotos cubare ſolitos, ut per ſomnium bonam valetudinem à Diis oſtenſam conjectare poſſent; quod Iamblichus de Myſterijs ſect. 3. cap. 3. his verbis confirmat: Εν Ασκληπιοῦ μὲν τὰ νοσήματα τοῖς θείοις ὀνείροις παύεται· διὰ δὲ τὴν τάξιν τῶν νυκτερ ἐπιφανειῶν, ἡ ἰατρικὴ τέχνη συνέστη ἀπὸ τῶν ἱερῶν ὀνειράτων. *In Aeſculapij templo per ſomnia divina morbi ſanantur; ipſaque medendi ars conſtitutis obſervationibus nocturnarum apparitionum in divinis ſomniis comparata eſt*. De hoc ritu meminit etiam Plautus in Curcul. act. 1. ſc. 1.

. . . . quia hic Leno ægrotus incubat
In Aeſculapij fano.

Hygiæam

10 Hygiæam finxerunt veteres Aesculapij filiam, eamque ut salutis Deam venerati sunt: salus enim gignitur ex aëre puro, Aesculapius autem plerumq;habebatur pro aëre, unde Pausanias in Achaic. scribit: Ἀσκληπιὸν μὲν ἀέρα γένει τε ἀνθρώπων εἶναι καὶ πᾶσιν ὁμοίως ζώοις ἐπιτήδειον πρὸς ὑγίειαν. Ἀπόλλωνα δὲ Ἥλιον, καὶ αὐτὸν ὀρθότατα Ἀσκληπιοῦ πατέρα ἐπονομάζεσθαι, ὅτι ἐς τὸ ἁρμόζον ταῖς ὥραις ποιούμενος ὁ Ἥλιος τὸν δρόμον μεταδίδωσι τῷ ἀέρι ὑγιείας. *Aesculapium aliud nihil quam aërem esse, ex quo bona valetudo, quam Græci Hygiæam appellant, tam homini, quàm cunctis aliis animantibus existeret: Apollinem, qui Sol ipse est, jure patrem Aesculapii perhiberi, quòd anniversarias vicissitudines cursu conficiens suo aëri salubritatem impertiat.* Serpentis Aesculapio, & Saluti dicati meminit Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 20. docens ideò simulacris eorum jungi dracones, quòd hi ad Solis, & Lunæ naturam referuntur. *Est,* inquit, *Aesculapius vis salubris de substantia Solis subveniens animis, corporibusque mortalium. Salus autem naturæ Lunaris effectus est, quo animantium corpora juvantur salutifero firmata temperamento. Ideò ergò simulacris eorum junguntur figuræ draconum, quia præstant, ut humana corpora velut infirmitatis pelle depositâ ad pristinum revivescant vigorem, ut revivescunt dracones per annos singulos pelle senectutis exutâ.* Tibullus lib. 1. el. 4. *Serpens novus exuit annos.* Salutis augurium apud Romanos celebrabatur, quod intermissum, renovavit Augustus, teste Suetonio in ejus vita cap. 31. Symbolum autem prosperitatis fuisse apud Aegyptios liquet ex historia Antiochi Soteris, qui adversus Galatas pugnaturus, hoc signo vexillis imposito, datoque militibus pro tessera, de quo faciendo se per somnium ab Alexandro Magno monitum fuisse simulavit, insignem reportavit victoriam, cujus rei signum in quibusdam Antiochi numismatibus apparet.



Est autem triangulus triplex invicem insertus, constans ex quinque lineis, in quibus ΥΓΙΕΙΑ inscribitur. Narrat Cælius Rhodiginus lib. 22. lect. ant. cap. 2. mulieres apud Sicyonios Hygiææ simulacro capillos dicare solitas, quos in ejus honorem sibi resecabant.

11 Notissima est Sileni effigies, fuit enim simus, & calvus; garrulum, & nugacem, sive loquacem describit illum Suidas, Silenumque à verbo σιλαίνω *garrio, nugor,* dictum asserit. Bacchi nutricium, magistrumque fuisse docet Diodorus lib. 4. cap. 1. plurimumque ad virtutem, & gloriam, resque bellicas ei profuisse scribit. Philosophiæ quoque illum operam dedisse innuit Aelianus lib. 3. sermonem ejus

ejus ad Midam Phrygem habitum referens. Accipimus ex Athenæo Deipnosoph. lib. 4. Silenum fistulæ multis compactæ calamis inventorem fuisse, illius verò, quæ cerâ conjungitur, Marsyam: sed utrumque cum Apolline contendisse notat Pausanias in Corinth. Hedera, quâ Silenus in hac gemma coronatus exhibetur, fuit Baccho sacra; illius frondes adversus dolorem, & gravitatem capitis à vini potu molestam prodesse credebant veteres, eaque de causa hederaceis præcipuè coronis caput cingebant. Ex Athenæo Deipnosoph. lib. 15. Silenum in gratiam Bacchi Aratus inter sidera translatum dicit.

Bacchæ fuerunt Liberi patris comites, quæ, teste Suida, ferebantur 12
quodam afflatu divino repletæ. Bacchum apud Indos bellantem secutæ sunt, fœminæ, ut verbis D. Augustini utar, non tam virtute 13
nobiles, quàm furore. Dictæ sunt Bacchæ à verbo bacchari, quod idem est ac furere; etenim orgia Liberi patris velut per furorem magnis clamoribus celebrabant, pampineisque, & hederaceis utebantur coronis. Scribit Eusebius lib. 2. cap. 5. Bacchas in orgijs celebrandis Evam conclamare solitas, quæ vox Hebraicè cum aspiratione graviori fœminei sexus serpentem significat, ideoque hanc vocem clamare, quia sæpe in dictis orgijs erant coronatæ serpentibus. Quatuor Bacchas sorores recenset Fulgentius lib. 2. Mythol. quarum proprietates eruditè describit his verbis: *Quatuor sunt ebrietatis genera, idest, prima vinolentia, secunda rerum oblivio, tertia libido, quarta insania; unde & nomina hæc quatuor Bacchæ acceperunt. Bacchæ dictæ sunt quasi vino vacantes; prima Ino, οἶνος Græcè, Latinè vinum dicimus: secunda Autonoe, quasi αὐτὸ γνοῦν, idest, seipsam non cognoscens: tertia Semele, quasi σωμάλυον, quod nos Latinè corpus solutum dicimus, unde & ipsa genuisse Liberum patrem dicitur, idest, de libidine nata ebrietas: quarta Agave, quæ ideò insaniæ comparatur, quòd caput filij violenter abscidit.* Dicta confirmat S. Petrus Chrysologus serm. 27. de vitanda ebrietate illius furores describens. *Ebrietas*, inquit, *cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra: hanc qui habet, se non habet: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum: ebrietas est Dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris injuria.*

Africam Græci Libyam appellavere (inquit Plin. in proem. lib. 5.) *quâ* 14
mare ante eam Libycum incipiens Aegyptio finitur. Hanc tertiam Orbis partem ab uno Abrahæ posterorum, cui nomen erat Afer, denominatã fuisse credit Josephus: alij verò ab ἀ privativa, & Græco vocabulo φρίκη quod frigoris horrorem significat, sic dictã autumant. Nutrit hæc regio

Dracones, Elephantes, Capreas, Bubalos, Leones, Pardales, Camelopardales, & alia diverſa ferarum, monſtrorumque genera, ut colligitur ex Strabone. Narrat Aelianus lib. 3. Anim. cap. 31. in Africa multos gigni Baſiliscos, eosque Galli cantu terrore percuſſos emoriri. Reperiuntur etiam ibidem infenſiſſima Scorpionum genera, de quibus latiſſimè Plinius lib. 11. cap. 25. qui ſcribit lib. 8. cap. 11. Elephantes perpetuò cum Draconibus bellantes in Africa reperiri. Hanc regionem Leonibus, & Elephantibus abundare tradit Manilius lib. 4.

Et vaſtos Elephantas habet, ſævosque Leones
In pœnas fecunda ſuas parit horrida tellus.

Unde non mirum eſt, ſi in multis Hadriani, Antonini, & Severi numismatibus repræſentetur Africa ſub figura muliebri cum proboſcide in capite; & ſimiliter in moneta aurea Ceſtiæ gentis, & in argentea familiæ Eppiæ, in quibus facies muliebris exhibetur, ut in hac gemma, geſtans pro calantica exuvias capitis elephantini cum eadem proboſcide. Conſtat enim veteres hoc ſymbolo ſemper Africam denotaſſe, utpotè Elephantium feracem, unde pedites Mauri pellibus animalium hujusmodi pro clypeis utebantur.

15 Solon patriâ Salaminius fuit unus ex ſeptem Græciæ Sapientibus, Athenienſis Philoſophus, & Legislator, cujus dictum erat, *Noſce te ipſum*. Vixit Athenis Olymp. XLVII. vel, ut alijs placet, LVI. Tempore Piſiſtrati tyranni inſidijs petitus in Ciliciam ſpontè ſeceſſit, ibique urbem de ſuo nomine Solenſem denominatam condidit. Dicunt alij civitatem hanc in Cypro condidiſſe, in qua deinde annorum LXXX. deceſſit. Sed quantâ diſcendi cupiditate flagraverit, colligitur ex Valerio Maximo lib. 8. cap. 7. ſupremum illius vitæ diem referente his verbis: *Quum aſſidentibus amicis, & quadam de re ſermonem inter ſe conferentibus, fatis iam preſſum caput erigeret, interrogatus, quapropter id feciſſet, reſpondit; ut cum iſtud, quidquid eſt, de quo iam diſputatis, percepero, moriar. Migraſſet profectò ex hominibus inertia, ſi eo animo vitam ingrederemur, quo eam Solon egreſſus eſt.* Illius ſupra cæteros Græciæ ſapientes præſtantiæ meminit Auſonius in Sapient.

De more Græco prodeo in ſcenam Solon,
Septem Sapientum fama cui palmam dedit.

Multa de illo Plutarchus, & Diogenes Laërtius.

16 Socrates Sophroniſci ſtatuarij, & Phanaretæ obſtetricis filius natus eſt Athenis Olympiade LXXVII. tempore belli Peloponneſiaci. Simum, & calvum, Silenoque ſimilem deſcribit illum Suidas. Philoſophiæ partem illam, quæ de moribus agit, moralisque propterea di-

citur,

citur, præcipuè coluit. *Socrates philoſophiam primus devocavit è Cælo* (ait Tullius lib. 5. Tuſcul.) *& in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita, & moribus, rebusque bonis, & malis quærere.* Apollinis oraculo judicatus fuit ſapientiſſimus; refert enim Cælius Rhodiginius lib. 13. lect. ant. cap. 1. Chærephonti cuidam Socratis perfamiliari Pythiam reſpondiſſe hæc verba: *Sapiens quidem Sophocles, ſapientior vero Euripides, & omnium ſapientiſſimus Socrates.* Aequalem ſemper vultum ſive in proſperis, ſive in adverſis rebus ſervavit, unde Plinius, *Ferunt* (inquit) *Socratem clarum ſapientiâ eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato.* Duas habuit vxores Xanthippem, ex qua natus eſt Lamprocles, & Myrtonem Ariſtidis juſti filiam, ex qua filios ſuſcepit Sophroniſcum, & Menedemum, vel Menexenum. Audivit magiſtros philoſophiæ Anaxagoram, Clazomenium, Damonem, & Archelaum. Plurimos habuit diſcipulos diverſarum ſectarum inſtitutores, inter quos primum tenet locum Plato Academiæ Princeps, à quo Socratis diſſertationes commemorantur, illum enim nihil umquam ſcripſiſſe conſtat. Tandem ab Anyto, & Melito accuſatus, quòd novam religionem vellet introducere, in vinculis diù fuit, cumque ad mortem condemnatus eſſet, *fortique animo* (ut ſcribit Valerius Maximus lib. 7. cap. 2.) *& conſtanti vultu potionem veneni è manu carnificis accepiſſet; admoto jam labris poculo, uxori Xanthippæ inter fletum, & lamentationem vociferanti innocentem eum perimi, Quid ergo? inquit, nocenti mihi mori ſatius eſſe duxiſti? O immenſam illam ſapientiam, quæ ne in ipſo quidem vitæ exceſſu oblivisci ſui potuit.* Tanta fuit deinde Athenienſibus de morte Socratis pœnitentia, ut paullò poſt omnia gymnaſia facerent claudere, illius accuſatores Melitum morte, Anytum exſilio punirent, ipſique ſtatuam æream Lyſippi opus dedicarent.

Magiſtrum ſequitur diſcipulus, ſapientiſſimum videlicet Socratem divinus Plato Academię Princeps natus Athenis patre Ariſtone anno 17
ſecundo Olympiadis LXXX. Ariſtocles prius vocabatur, deinde ob latos humeros Platonis nomen ſortitum fuiſſe narrat Suidas. Προσηγορεύετο δὲ Ἀριστοκλῆς· διὰ δὲ τὸ πλατὺς εἶναι τὸ στέρνον, Πλάτων ἐπωνομάσθη· ἄλλοι δὲ ὡς πλατὺν ἐν λόγοις, Πλάτωνα κληθῆναι. *Ariſtocles primò eſt dictus; ſed ob latitudinem pectoris Plato eſt cognominatus: alij ob amplitudinem orationis Platonem dictum aiunt.* Etenim Platonis infantis ore apes conſederunt, ſingularem prædulcis eloquij portendentes ſuavitatem, ſi fides Plinio lib. 11. cap. 17. & Valerio Maximo lib. 1. cap. 6. Tantâ eum facundiâ inſtructum fuiſſe ſcribit idem Valerius Max. lib. 8. cap. 7. *Ut ſi ipſe Jupiter cælo deſcendiſſet, nec elegantiore, nec beatiore facundiâ*

uſurus

usurus videretur. Caput ejus comatum, & barbatum exhibetur in hac gemma, prout illum habuisse docet Aelianus referens primam inter Platonem, & Aristotelem dissensionem ex barba, & capillis ortam, cum Aristoteles contra Platonis morem radi, & tonderi solitus fuerit. Octogenario major decessit teste eodem Maximo loco citato. *Altero etiam & octogesimo anno decedens sub capite Sophronis mimos habuisse fertur: sic ne extrema quidem ejus hora agitatione studij vacua fuit*. Platonis imagines annulis insculptas gestabant Academici, ut & Zenonis, & Aristotelis Stoici, & Peripatetici. Audiamus Epiphanium de Carpocratianis, Gnosticis, & Basilidis sectatoribus hæresi 27. Philosophorum imagines ab illis adoratas esse scribentem. *Habent depictas coloribus imagines, quidam etiam aureas, aut argenteas, vel ex alia materia factas, quas esse Jesu effigies affirmant, easdemque à Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Sed ejusmodi imagines occultas habent, necnon & Philosophorum quorumdam, ut Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus eas, quas dixi, Christi effigies miscent, & erectas simul omnes adorant, ad easque Gentilium ritus instituunt*.

18 Pulcherrimas Alexandri Magni, ejusque matris Olympiadis imagines Cameus exquisitissimi artificij nobis exhibet. Ille hic est, qui olim in celeberrima Mantuæ Ducum gaza cum infinitis propemodum antiquæ, & modernæ magnificentię monumentis asservabatur; at illa superiori seculo in miserabili urbis excidio direpta multorum deinde Principum cimelia exornavit; iste verò cameus recolendæ semper memoriæ Reginæ Christinæ thesauro accessit, in quo etiam rarissima ex quovis metallo, moduloque numismata, gemmæ pretiosissimæ, eximiæ Græcorum, Romanorumque Sculptorum statuæ, bibliotheca selectissima, plurimæ celeberrimorum Pictorum tabulæ, ditissimaque peristromata omnium oculos mirum in modum etiam nunc alliciunt. Alexandri Magni res gestas Plutarchus, Q. Curtius, alijque scripsere. Is Jovis Ammonis filius perhibebatur, à quo in draconem commutato Olympias ejus mater compressa fuerat; ideoque serpentis imaginem & galeæ, & pectori insculptam exhibet hæc gemma, ut & Ammonis caput humero, quod historiam à Plutarcho allatam mirificè confirmat. *Fastidio Philippi* (Alexander, ait Valerius Maximus lib. 9. cap. 5.) *Jovem Ammonem patrem ascivit*. Imagines Alexandri Magni sive in numismatibus, sive in gemmis, ut favorabilia amuleta, gestabant veteres, de quibus mentionem facit Trebellius Pollio in Macrianis. *Alexandrum Magnum Macedonem* (inquit) *viri in auro, & in argento; mulieres & in reticulis, & dextro-*

dextrocherijs, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exsculptum semper habuerunt: eò usque, ut tunicæ, & limbi, & penulæ matronales in familia ejus hodieque sint, quæ Alexandri effigiem delitijs variantibus monstrent. Hanc superstitionem redarguit B. Chrysostomus homil. 25. ad populum Antiochenum his verbis. *Quid verò diceret aliquis de his, qui carminibus, & ligaturis utuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti, vel pedibus? Dic mihi, istæne sunt spes nostræ, ut post crucem, & mortem Domini gentilis Regis imagine spem salutis habeamus.*

Lysimachus filius Agathoclis fuit unus ex successoribus Alexandri 19
Magni, & forsan ob tanti Principis memoriam cornua & ille gestat arietina. In sacris litteris cornu est symbolum supremæ potentiæ, & vox, *Keren*, significat tam illud, quàm coronam. Ferunt Lysimachum ab Alexandro Leoni objectum, quòd venenum Callistheni propinasset, manum quodam amiculo convolutam in os leonis intulisse, illiusque linguam abripuisse. Fuit deinde ut priùs Alexandro dilectus, & post illius mortem Pergamo præfuit.

Imago C. Cœlij Caldi in sarda gemma pulcherrima, & artificiosè 20
elaborata effícta est. Consul fuit anno V. C. DCLIX. quam dignitatem tamquam novus homo, ut scribit Cicero de petitione consulatus, eloquentiâ suâ adeptus est. In perduellionis judicio tabellam exhibuit cum duabus litteris L.D. hoc est, *Libero*, & *Damno*; quæ signatæ sunt in illius argenteo nummo à filio, vel nepote in ejus memoriam percusso.

Præclara Pompeij Magni facta ignota esse nemini satis constat; 21
unde aliqua de illius effigie, pauca de rebus ab eo gestis hic referam. Vellejus lib. 2. scribit Pompejum Magnum fuisse *formâ excellentem, non eâ, quâ flos commendatur ætatis, sed ex dignitate constanti.* Plutarchus in ejus vita postquam de illius ortu, & natalibus quædam retulit, subjungit eum ab adolescentia tanto decore vultus extitisse, ut Alexandro Magno similis vulgò crederetur, & à quibusdam Alexander appellatus fuerit. Vultus tamen juvenilis Pompeij cum Alexandro conformitas ex hac gemma elici non potest, cùm in ea Pompejus ætate jam provectus repræsentetur, tùm etiam quòd de illa perfecta similitudine Plutarchus omnino non conveniat: sed capillitium paullatim assurgens, quod prætulisse Pompejum narrat idem Plutarchus, cum imagine in hac gemma effícta planè concordat. Valerius Maximus lib. 8. cap. 15. pauca de præclaris ejus gestis, sed memorabilia narrat his verbis: *Eques Romanus pro Consule in Hispaniam adversus Sertorium pari imperio cum Pio Metello Principe civitatis*

missus est: nondum ullum honorem auspicatus bis triumphavit: initia Magistratuum à summo Imperio cepit: tertium Consulatum decreto Senatus solus gessit: de Mithridate, & Tigrane, de multis præterea Regibus, gentibus, plurimisq; civitatibus, & prædonibus, unum duxit triumphum. Ejusdem laudes, & res gestas paucis etiam perstrictas refert Plinius lib. 7. cap. 26.

22 Imago M. Tullij Ciceronis eloquentiæ Romanæ facilè Principis hic exhibetur, cujus linguam dictam fuisse divitem scribit Cęlius Rhodiginius lib. 25. lect. ant. cap. 3. Post detectam Catilinæ conjurationem patris patriæ nomen ei à Senatu concessum fuit, quod nullo umquam, si Camillum excipiamus, quem Livius narrat à militibus in triumpho, sed non ex decreto Senatus, patrem patriæ appellatum fuisse. De hoc illustri titulo Ciceroni concesso mentionem facit Juvenalis sat. 8.

. . . . sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Egregium illius elogium vide apud Plinium lib. 7. cap. 30.

23 D. Brutus ab A. Postumio Albino adoptatus hujus prænomen secundum morem adoptionum retinuit. Fuit unus ex percussoribus Cæsaris, qui eum in testamento suo secundum hæredem scripserat. Consul designatus fuit in annum DCCXI. quem tamen lege Pedia damnatus non inijt. Ultimus Romanorum dictus est, teste Cælio Rhodiginio lib. 17. lect. ant. cap. 8. Plura vide apud Vellejum lib. II.

24 Cn. Domitius Ahenobardus, cujus effigies in cameo sculpta extat in museo nostro, fuit Neronis Imperatoris proavus, & unus ex conjuratis Cæsaris. Præfuit classi, quâ mare Jonium aliquando tenuit; eam deinde M. Antonio tradidit ejus partes post Philippense bellum secutus, si fides Dioni lib. 48. & Suetonio in Nerone cap. 3.

25 Veneranda C. Julij Cæsaris hic exhibetur imago, Principis non fortitudine modò, sed & eloquentiâ, præclarisq; animi dotibus commendabilis. Vidit illum Gallia expugnatorem, Germania, & Britannia debellatorem, Pharsalici campi victorem, Aegyptus vindicem, & ultorem, Africa, Syria, Pontus, & Hispania invictum semper, Roma clementissimum experta est, conspexitque quinquies triumphantem, teste Suetonio. Dignus sanè videretur clarissimus Princeps potito Imperio, si patriæ libertati imperium non repugnasset.

26 Tiberius Liviæ Augustæ filius, extinctis Caio, & Lucio Cæsaribus, Juliam eorum matrem sibi ab Augusto in uxorem traditam accepit, ab eoque adoptatus ejus in Imperio successor fuit. Primis Imperij

mensibus

menſibus vitiorum ſuorum diſſimulationi ſtuduit, ſeque erga ſingulos humaniſſimum, & adverſus convitia patientem præbuit dicens in civitate libera linguam, mentemque liberas eſſe debere. Speciem quamdam libertatis induxit, multaque ſtatuit ad Urbis, & Reipublicæ utilitatem; ſed tandem vitia malè diù diſſimulata profudit, omnique libidinis, avaritiæ, & crudelitatis genere contaminatus obijt in villa Luculliana anno Imperij XXIII. ætatis verò LXXVIII. Auctor eſt Suetonius.

Hæc præclara Lucij Veri effigies ex carneola pulcherrima, & fa- 27
berrimè ſculpta deſumpta eſt, quæ olim extabat in ſelectiſſima bonæ memoriæ Cardinalis Maximi bibliotheca. Lucius Verus à M. Aurelio adoptatus Lucillâ ejus filiâ in vxorem illi traditâ Imperij ab eodem conſors factus eſt. Bellum Parthicum per Legatos ſuos confecit, partumque eſt ipſi nomen Armeniaci, Parthici, & Medici, ut ſcribit Julius Capitolinus. Princeps mollis, & voluptatibus deditus anno Imperij XI. improvisâ morte occubuit.

Optimo Patri M. Aurelio ſucceſſit peſſimus filius Commodus 28
nomine, ſed factis Populo Romano maximè incommodus, impuriſſimus, & crudeliſſimus Imperator Carnifex Senatus vulgò appellatus, teſte Lampridio. *Fuit eâ dementiâ (*inquit Capitolinus*) ut Urbem Romam Coloniam Commodianam vocari voluerit.* Etenim ſe in nummis Herculem Romæ Conditorem declarat. Multa cognomina ſibi ſumpſit, ſed præſertim Herculis, de quo ſcribit idem Lampridius: *Accepit ſtatuas in Herculis habitu, eique immolatum eſt ut Deo.* Tandem omnibus ob crudelitatem exoſus facta in eum conſpiratione, conſciâ ejus concubinâ Marciâ, anno Imperij XIII. ſtrangulatus eſt. Egregia hæc ſculptura in berillo, vel aqua marina, ut vulgò vocatur, cuſtoditur in celeberrima gaza Eminentiſs. Cardinalis Carpinei, qui nobiliſſimum ſuum ingenium delectat in amore, & ſtudio eruditæ antiquitatis. Poſſidet Princeps Eminentiſſimus muſeum rebus præſertim ſacris refertiſſimum, nummoſque cujusvis formæ, & metalli rariſſimos, inter quos centum & amplius maximi moduli inſpicere mihi licuit, conciliatore Illuſtriſs. Raphaële Fabretto S. D. N. Alexandri Papæ VIII. à Secretis, viro ſummæ doctrinæ, & in omni ſcientiarum genere verſatiſſimo, qui & ipſe ſuam in re antiquaria peritiam tribus de Aquis, & Aquæductibus veteris Romæ diſſertationibus, Columnæ Trajanæ expoſitione, alijsque ſuis eruditiſſimis operibus exhibuit. Plurimæ quoque ſtatuæ nobiliſſimas ejusdem Cardinalis ædes exornant, ſed maximè Annij Veri fratris Commodi natu minoris caput marmoreum; cujus etiam Principis pulcherrima, & à temporis diutur-

diuturnitate nil quidquam detrimenti passa effigies pariter marmorea extat penès Illust. Abbatem Isidorum Huart, virum comitate, & urbanitate commendabilem, veterisque memoriæ studiosissimum; quippe qui seriem numismatum lectissimam, variaque antiquitatis monumenta in suo cimelio asservat.

29 Rara esse Didij Juliani ex quovis metallo numismata norunt omnes, qui ea tractant; at gemmæ illius vultum repræsentantes eximiæ sunt raritatis; unde hanc imaginem in pulcherrima carneola sculptam extantem in museo nostro hic exhibemus. Interfecto à militibus Pertinace Julianus Imperium à Prætorianis nundinatus Tribuniciam potestatem accepit: auditâ deinde, in Syria C.Pescennij, & in Pannonia Sept. Severi electione, ab omnibus destitutus tertio Imperij mense occisus est.

30 Sept. Severus Imperator ab exercitu Pannonico salutatus, Romæ Juliano, Pescennio in Oriente, & Albino in Gallia interemptis solus Imperio potitus est. Filios Caracallam, & Getam Imperatores moriens declaravit. Eboraci in Anglia morte sibi medicorum ope accelerata, Caracalla, ut creditur, instigante obijt anno Imperij XVII.

31 Elagabalus Mesæ artibus ad Imperium evectus se Caracallæ filium publicavit, unde Antoninus à militibus appellatus est. Pessimus Imperator ad omnem lasciviæ, & crudelitatis speciem progressus cum Soëmia matre post annum Imperij tertium trucidatus est.

32 Sabina Trajani neptis, Matidiæ filia, Hadriani uxor, morosa fœmina paullò ante mariti obitum extincta est. Illius imaginem non ob raritatem, sed propter insolitum capitis ornatum, variosque capillorum implexus hìc apposuimus, de quibus jucundissimè more suo Juvenalis sat. 6.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput.

Tertullianus lib. de cultu fœm. cap. 7. mulierum vanitatem in disponendis crinibus, alienisque comparandis describit, & arguit his verbis: *Quid enim tanta ornanda capitis onerositas salutem subministrat? Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? aliæ gestiunt in cincinnis coercere; aliæ ut vagi, & volucres elabantur, non bonâ simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium, atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retrò suggestum, &c.* (& mox) *Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti: ne exuvias alieni capitis forsitan immundi, forsan nocentis, & gebennæ destinati sancto, & christiano capiti*

capiti ſuppares. Comam non ut ornamentum, ſed tamquam indicium velaminis eſſe debere mulieri docet D. Ambroſius epiſt. 1. ad Corinth. cap. 11. *Mulier* (inquit) *ſi comam habuerit, gloria eſt illi, quoniam coma pro velamine data eſt ei*. Multa de ornatricibus apud Laur. Pignorium in lib. de ſervis fol. 191.

ARTICULUS POSTERIOR

Gemmæ figuras exhibentes.

ISIS, teſte Macrobio, Saturn. lib. 1. cap. 20. terra eſt, vel rerum 33
natura ſubiacens Soli. Loto inſidet, cujus flos ad Solis præſentiam extra undas emergens ejus motum ſequitur ab ortu ad occaſum, ut docet Theophr. lib. 4. ad indicandum generationem rerum omnium virtute Solaris Genij ex humido emergere. Perſeam capiti habet impoſitam typum ſilentij, & veritatis, ut monſtret ſapientiæ, & arcanorum majeſtatem profanorum auribus ſupprimenda, ſacraque myſteria ſolo ſilentio veneranda. Veſtimento reticulato induta eſt rerum omnium connexionem denotante, ſine qua mundus perfectus eſſe nequit, ut loquitur Triſmegiſtus in Aſclepio. Flagellum, ſeu ſcuticam manu tenet ad contrarios Dæmones, maloſque, & nocivos Genios domandos, & expellendos; ſic apud veteres Averrunci Dij dicebantur illi, qui mala imminentia aliò avertebant, & pingebantur ſcuticas, ſeu baculos manibus geſtantes. De Deo ſuper lotum ſedente hæc ſcribit Iamblichus de Myſterijs ſect. 7. cap. 2. Συμμαρτυρεῖ δὲ τούτῳ καὶ τὸ ἑξῆς σύμβολον· τὸ γὰρ ἐπὶ λωτῷ καθέζεσθαι, ὑπεροχήν τε καὶ τὴν ἰσχὺν αἰνίττεται μὴ ψαύουσαν μηδαμῶς τῆς ἰλύος. καὶ ἡγεμονίαν νοερὰν καὶ ἐμπύρειον ἐπιδείκνυται· κυκλοτερῆ γὰρ πάντα ὁρᾶται τὰ τοῦ λωτοῦ, καὶ τὰ ἐν τοῖς φύλλοις εἴδη, καὶ τὰ ἐν τοῖς καρποῖς φαινόμενα ἧπερ δὴ μόνῃ κινήσει τῇ κατὰ κύκλον νοῦ ἐνέργειά ἐστι συγγενής, τὸ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως καὶ ἐν μιᾷ τάξει καὶ καθ' ἕνα λόγον ἐμφαίνουσα. αὐτὸς δὲ δὴ ὁ θεὸς ἵδρυται καθ' ἑαυτὸν, καὶ ὑπὲρ τὴν τοιαύτην ἡγεμονίαν καὶ ἐνέργειαν σεμνὸς καὶ ἅγιος ὑπερηπλωμένος καὶ μένων ἐν ἑαυτῷ, ὥσπερ δὴ τὸ καθέζεσθαι βούλεται σημαίνειν. *Confirmat hæc etiam ſequens ſymbolum, quòd enim ſuper lotum Deus ſedeat, hoc obſcurè ſignificat ejus eminentiam, & potentiam, quæ ne quidem tangat lutum; etiam & præſidentiam ejus intellectualem denotat, & planè empyriam; omnia enim in loto circularia ſunt, tum folia, tum fructus, cui ſola mentis operatio (ut quæ circulariter moveatur) reſpondet, per eadem videlicet & eodem pacto, ordine, ratione ſe ſemper habens.*

 Deus

Deus autem ipse per se solus sedet expansus super hoc imperium, & operationem, venerabilis, sanctus, in seipso penitus quiescens, quod quidem sedendo significatur.

34 Exhibetur in hac gemma eadem Isis inter quatuor elementa, per Salamandram, Aquilam, Delphinum, & Leonem significata, quorum ipsa uti rerum natura parens se dominam vocat apud Apulejum lib.11. Metamorph. Omnia enim componuntur ex quatuor elementis igne, aëre, aqua, & terra, teste Cicerone lib.2. de nat.Deor. & in ea tandem resolvuntur. Multimammia pingitur hæc Dea, prout describitur à Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 20. *Isis cuncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum subjacens Soli. Hinc est, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur: quia vel terræ, vel rerum naturæ halitu nutritur universitas.*

35 Cybele Leone vecta, tympanum gestans exhibetur in nummis Septimij Severi, & Caracallæ. Constat matrem Deûm eamdem creditam esse, atque tellurem, tympanumque, quod habet, significari esse orbem terræ, ut docet D. Augustinus lib.7. de Civic. Dei cap.24. Tympanis in sacris hujus Deæ Sacerdotes utebantur. Ovidius lib. 4. Fastor.

Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant.

Hæc Dea Leonibus vehitur (inquit Macrobius Saturn. lib.1. cap. 21.) *validis impetu, atque fervore animalibus, quæ natura cæli est, cujus ambitu aër continetur, qui vehit terram.* Scribit verò D. Augustinus loco cit. Leonem adjungi solutum, ac mansuetum, ad indicandum *nullum esse genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non subigi, colique conveniat.* In summo positus est Sol omnia calore suo vivificans, ex adverso Luna nocturno suo humore Solis calorem temperans, unde justa oritur conjunctio calidi, & humidi, terræ fœcunditas, rerumque omnium procreatio. Carthaginenses Junonem Tyriam à Leone vectam colebant, illamque Deam cælestem vocabant.

36 Apollo repræsentatur in hac gemma laureatus, columnæ innixus arcum tenens, ad cujus pedes lyra. Illius simulacrũ huic ferè simile describitur à Luciano in opusc. de Gymn. Solonem sic Anacharsi respondentem introducente. Ὁ μὲν χῶρος αὐτὸς, ὦ Ἀνάχαρσι, γυμνάσιον ὑφ' ἡμῶν ὀνομάζεται, καὶ ἔστιν ἱερὸν Ἀπόλλωνος τοῦ λυκίου. καὶ τὸ ἄγαλμα δὲ αὐτοῦ ὁρᾷς, τὸν ἐπὶ τῇ στήλῃ κεκλιμένον, τῇ ἀριστερᾷ μὲν τὸ τόξον ἔχοντα· ἡ δεξιὰ δὲ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἀνακεκλασμένη, ὥσπερ ἐκ καμάτου μακροῦ ἀναπαυόμενον δείκνυσι τὸν θεόν. *Locus ille, Anacharsi, à nobis vocatur Gymnasium, & est Lycij Apollinis templum: cujus vides simulacrum, eum, qui est super columna reclinatus, qui quidem manu sinistra arcum tenet: cujus verò dextra super capite reflexa,*

Deum

Deum tamquam ex longo labore quiescentem ostendit. Arcus, & sagittæ Solis radiorum jactus innuunt. Lauream Apollini, & Libero sacratam esse scribit Tertullianus lib. de Corona Milit. cap. 12. Illi ut Deo telorum, huic ut Deo triumphorum. Lyra verò chordarum septem tot cælestium sphærarum motus designat.

Hæc præclara sculptura in achate, extans in museo nostro, Solem 37
exhibet stantem in curru, dextrâ scuticam, lævâ Quadrigarum velocissimè currentium habenas tenentem: circa marginem disposita sunt duodecim signa cælestia, quæ Zodiacum constituunt. De Sole, illiusque Quadrigis hæc scribit Fulgentius lib. 1. Mythol. *Sol dicitur, aut ex eo quod solus sit, aut quod solitè per dies surgat, & occidat: huic quoque Quadrigam adscribunt illam ob causam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, aut quod quadrifido limite diei metiatur spatium, unde & ipsius equis condigna sic nomina posuerunt, id est, Eritreus, Acteon, Lampos, Philogæus. Eritreus Græcè rubens dicitur, quòd à matutino Sol lumine rubicundus exurgat: Acteon splendens dicitur, quòd tertiæ horæ momentis vehemens insistetur, lucidior fulgeat: Lampos verò cùm ad umbilicum diei centratum conscenderit circulum: Philogæus Græcè terram amans dicitur, quòd horâ nonâ proclivior vergens occasibus pronus incumbat*. Quadrigas convenire Soli docet Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 9. *De jugo verò Quadrigas Soli, Bigas Lunæ sanxerunt*. Sic etiam Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

Hoc sidus currum, rapidasque agitare Quadrigas
Commenti, & capitis radios, & verbera dextræ.

Macrobius in somnium Scip. lib. 2. cap. 10. Zodiacum vocat viam Solis, hujusque nominis etymologiam sic explicat lib. 1. cap. 21. *Et quia signa Græco nomine ζώδια nuncupantur, circum ipsum, Zodiacum, quasi signiferum, vocarunt*. De signorum Zodiaci ordine, & cur illa diversorum numinum assignata sint potestati, diffusè scribit idem Macrobius loco citato. Hæc rara, & erudita gemma videtur fuisse amuletum cujusdam Priscillianæ hæresis sectatoris; obscœnus enim, & impius ille Priscillianus superstitiosâ de signis cælestibus doctrinâ imbutus, homines inter se quodam fatalium stellarum nexu colligari ausus fuit asserere, ipsumque corpus humanum secundum duodecim Zodiaci signa cōpositum esse, singula singulis corporis partibus, necnon eadem duodecim Patriarcharum nominibus attribuens: cujus hæresis singula capita Leo Magnus epistolâ ad B. Turibium Astoricensem Episcopum confutavit. Damnati fuere Priscillianistarum errores in multis Concilijs, & maximè in Bracharensi secundo sub Joan-

ne III. anno reparatæ salutis DLXIII. hortatu Theodomiri, seu Ariamiri Suevorum Regis ab errore, & impietate Ariana ad fidem Catholicam conversi anno tertio ejus regni celebrato, cujus canonem decimum, in quantum ad præsentem gemmam facit, hìc refero. *Si qui duodecim signa, quæ Mathematici observare solent, per singula animæ, vel corporis membra disposita credunt, & nominibus Patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* Virtutes hujus typi in lapide scalpti refert Camillus Leonardus lib.3. de Lapidib. cap.12. his verbis. *Solis figura diversimodè reperitur, &c. si ab equis quadrigis vehatur, & aliquando circa currum sint signa Zodiaci: virtus hujus figuræ, si in aliquo lapide inveniatur, est gestantem reddere potentem, ac imperantem, & venationibus delectantem: substantiam quoque acquirere facit.*

38 Ad Canonem ejusdem Concilij nonum videtur referri sequens gemma, quæ septem Planetas exhibet, fuitque & illa cujusdam Priscilliani sectatoris amuletum, omnia stellarum potestati, & influxibus subjicientis. Verba Concilij hæc sunt. *Si quis animas, & corpora humana fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.*

39 Diana Lucifera sic dicta est, quòd splendorem suum emittat, & circumfusum aërem suo lumine quodammodo illustret, maximè in plenilunio: facem accensam tenet, ad cujus exemplar mulieres in hujus Deæ sacris, quæ Artemia vocabantur, in luco Aricino Idibus Augusti celebrari solitis faces gestabant ardentes, ut de sua Cynthia canit Propertius lib.2. el.32.

Cum videt accensis devotam currere tedis
In nemus, & Triviæ lumina ferre Deæ.

Inflatum habet velum ob celerem illius motum, & velocitatem, quippe quæ viginti octo propè diebus totius Zodiaci ambitum conficit. Narrat Pausanias in Attic. extitisse apud Phlyenses, & Myrrhinusios Dianæ Luciferæ aras.

40 Romani Venerem victricem summâ religione colebant, cujus ædem Onuphrius Panvinius fuisse ait in nona urbis regione. Cæsar omnes suas victorias Veneri sui generis auctori acceptas referens in campis Pharsalicis Venerem victricem pro tessera militibus suis dedit, ut narrat Appianus de Bello civ. lib. 2: Pompejus verò Herculem invictum. Hæc Dea scuto innititur, cujus ferebatur inventrix, teste Coluthо de raptu Helenæ Venerem scutorum Reginam appellante; lævâ hastam gerit, dextrâ verò Martis gladium tamquam ejus victrix; hanc etiam ob causam Cupido galeam matri porrigit, etenim scutum,

hasta,

hasta, gladius, & galea solita Martis insignia sunt, & cum illis Venus victrix in nummis sæpissimè repræsentatur. Illa autem *nuda, & aperta dipingitur* (inquit Arnobius lib.6.) *ac si dicas illam publicare, ac divendere meritorij corporis formam.* Sive (ut ait Fulgentius lib.2. Mythol.) *quod nudos sibi affectatores dimittat; sive quod libidinis crimen numquam cælatum sit; sive quod numquam nisi nudis conveniat.* Pulcherrimum Veneris Cnidiæ Praxitelis simulacrum, ut in hac gemma, nudum describit Lucianus in Amor. Ἡ μὲν οὖν θεὸς, ἐν μέσῳ καθίδρυται. Παρίας δὲ λίθου, δαίδαλμα κάλλιστον. ὑπερήφανον, καὶ σεσηρότι γέλωτι μικρὸν ὑπομειδιῶσα. πᾶν δὲ τὸ κάλλος αὐτῆς ἀκάλυπτον, οὐδεμιᾶς ἐσθῆτος ἀμπεχούσης γεγύμνωται, πλὴν ὅσα τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ τὴν αἰδῶ λεληθότως ἐπικρύπτειν. *In medio igitur* (templi) *Dea posita est, ex Pario marmore, opus sanè pulcherrimum, & diducto ore paulum subridens. Tota autem ejus pulchritudo detecta, nullâ veste ipsam tegente, nuda conspicitur, nisi quod oblita sui alterâ manu pudenda abscondit.* (Et deinde) Ἡράκλεις, ὅση μὲν τῶν μεταφρένων εὐρυθμία, πῶς δ' ἀμφιλαφεῖς αἱ λαγόνες, ἀγκάλισμα χειροπληθές· ὡς δ' εὐπερίγραφοι τῶν γλουτῶν αἱ σάρκες ἐπικυρτοῦνται, μήτ' ἄγαν ἐλλιπεῖς, αὐτοῖς ὀστέοις προσεσταλμέναι, μήτε εἰς ὑπέρογκον ἐκκεχυμέναι πιότητα.

Egregia hæc sculptura in calcedonio extans penès CL.V. Marcum 41
Antonium Sabatinum Venerem marinam exhibet à Tritone vectam dextrâ clypeum tenentem, in quo Gorgona. Hæc Dea ex maris spuma genita perhibetur, quòd spumosa sint animantium semina, teste Clemente Alexandr. lib.1. Pædag. Illius enim beneficio animantia propagantur, unde Lucretius in principio poematis philosophici sic eam alloquitur.

Aeneadum genitrix, Hominum, Divumque voluptas,
Alma Venus, per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina Solis.

Phornutus hæc de illa scribit. *Vocatur & cælestis, & vulgaris, & omnium causa, quod nempe Veneris potentia, & vis, & in cælo, & in mari cernatur.* De illius ortu mentionem facit Ausonius epig.33.

Orta salo, suscepta solo, patre edita Cælo,
Aeneadum genitrix, hic habito alma Venus.

Audiamus etiam Arnobium de hac Voluptatis Dea sic loquentem. *Numquid à nobis dicitur ex pelagi spuma, & ex Cæli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coaluisse candorem.* Anadyomene vocatur à Plinio lib.35. cap.10. tabulam Veneris exeuntis è mari ab Augusto in templo D. Julij dicatam describente. *Venerem exeuntem è mari Divus Augustus dedicavit in delubro patris Cæsaris, quæ Ana-*

dyomene vocatur. Pelagia, & Aphrodite ab antiquis etiam dicta est; ut & maris domina, Museus de Herone, & Leandro

Ἀγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης,
Καὶ κρατέει ποντόιο.
Ignoras quod Venus nata est è mari,
Et dominatur ponto.

Unde non mirum, si à Tritone super fluctus marinos vehitur, siquidem Triton Neptuni, & Salaciæ Nymphæ marinæ filius est, & inter Deos humidi elementi numeratur, Ovidius lib. 2. Metam.

Cæruleos habet unda Deos, Tritona canorum.

Sed quid Veneri cum Gorgona, non bene video; clypeum forsan gerit, quod illa clypeos cudere docuerit, ut canit Homerus hymn. ad Vener. & Gorgona in eo sculpta est ornamenti tantum causâ; vel potius ad indicandam ejus nativitatem ex Phorco, & Ceto marina bellua, vel denique tamquam favorabile amuletum.

42 Bacchus in hac gemma repræsentatur seminudus, juvenili vultu, dextrâ thyrsum gestans, sedens in curru, quem vehunt centauri duo mas, & fœmina, ille duplicem inflans fistulam, hæc cymbala utraque manû collidens in sacris Liberi usurpari solita, teste Ovidio hujus Dei festa describente lib. 3. Metam.

Liber adest; festisque fremunt ululatibus agri.
Turba ruunt; mistæque viris matresque, nurusque,
Vulgusque, Proceresque ignota ad sacra feruntur.
Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, vestras
Attonuit mentes? Pentheus ait. Aerane tantum
Aere repulsa valent? Et adunco tibia cornu.

Erant enim cymbala ærea, & cava, ansas in extima convexitate habentia, quibus apprehendebantur, & insimul concussa tinnitum edebant. Idem Ovidius lib. 3. de arte am.

Disce etiam duplici genialia nablia palmâ
Vertere.

Quo versu indicat utrâque manu ad cymbala opus esse. Ea labijs assimilat Fulgentius lib. 1. Mythol. *Duo labia velut cymbala verborum commoda modulantia, lingua ut plectrum*. Varia symphoniacorum instrumenta recenset Petrus Chrysologus serm. 93. inter quæ & fistulas, & cymbala. *Organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam, & dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpè percutit, facit placitura Deo cymbala personare*. Centauri Liberi patris currui subjunguntur, sive quod insignes vini potatores fuerint, & ad bacchicum furorem maximè proclives,

ſive ad ſignificandum, quòd efferatæ mentes vino facilè mulcentur, ut docet Fulgentius lib. 2. Mythol. unde Bacchus dictus eſt Lyæus, quaſi lenitatem præſtans. Quare autem nudus vulgò pingatur, rationem reddit Phornutus his verbis. *Simulacra Bacchi nuda fiebant, ut vini naturam oſtenderent, quæ ſecreta revelat.* De thyrſo infrà.

Mulier in bigis exhibetur in hoc cameo, fortè illa Beliſtiche fœmi- 43
nâ è maritima Macedoniæ ora, quæ bigarum palmam tulit Olympiade CXXVIII. Si fides Pauſaniæ in Eliac. pr. Veteres bigas Lunæ conſecrarunt teſte Tertulliano lib. de Spectaculis cap. 9. Tibullus verò lib. 2. el. 1. currum, & bigas nocti tribuit.

Ludite: jam nox jungit equos, currumque ſequuntur
Matris laſcivo ſidera fulva choro.

Præclarum, & eruditum amuletum viſitur in hac gemma, caput 44
videlicet Palladis, ſeu Minervæ galeatum corpori noctuæ impoſitum, cum ſcuto, & haſta, ad cujus pedes ramus olivæ, cui videtur inſiſtere Gorgonam conculcans: retrò columna cum pharetra ad illam appenſa, vaſe eidem columnæ ſuperpoſito. Minerva conſideratur ut Dea ſapientiæ, cui noctuam ea de cauſa dicatam ſcribit Fulgentius lib. 2. Mythol. quod ſapientia etiam in tenebris proprium fulgorem poſſideat. Galeata eſt, inquit Georgius Codinus de orig. Conſtantin. διὰ τὸ εἶναι τῆς σοφίας τὸ ἀκρότατον ἀθέατον. *Propterea quod ſapientiæ culmen ſub aſpectum non cadit.* Clypeo innuitur omnes inſidias ſapientiâ repelli. Haſta ei tribuitur ad ſignificandam ejus fortitudinem; ſimiliter & pharetra cum ſagittis, quòd ſapientia verbo percutiat. Olea ſive ob naturæ puritatem, ſive quia pacis tempore ſtudia, & artes florent. Gorgona propter mentis celeritatem, vel tamquam favorabile amuletum, cui credebant veteres ineſſe vim aliquam abigendi pericula, & præſtandæ ſecuritatis, ut narrat Lucianus in dialogo, qui inſcribitur ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ. Columna indicat hujus Deæ conſtantiam, vel potiùs conſtantiâ ſapientiam acquiri. Sed quid de vaſe columnæ ſuperpoſito dicendum? fateor me prorſus ignorare: niſi conjectare liceat hoc amuletum pro conſequendo in poëticis, alijsve ludis, & certaminibus præmio geſtatum, etenim Pallas ingenijs præeſſe credebatur; Ovidius Faſt. lib. 3.

Pallada nunc pueri, teneræque ornate puellæ,
Qui bene placuerit Pallada, doctus erit.

Optimè ſociatur Mercurius cum Fortuna, ſiquidem ille marſu- 45
pium geſtans præſes habetur mercaturæ, cujus eventus pendet è fortuna: pingitur enim hæc Dea cum cornucopiæ, & gubernaculo, quaſi opes ipſa tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat, ut ſcribit Lactan-

Lactantius lib. 3. cap. 29. Caduceus Mercurio tribuitur pacis causâ, cum illâ mercibus acquirendis maximè opportuna ſit: caducei meminit Fulgentius lib. 1. Mythol. his verbis. *Virgam verò ſerpentibus nexam ob hoc adjiciunt, quod Mercatoribus det aliquando regnum ut ſceptrum: & vulnus ut ſerpentium.* De utriusque numinis attributis diffuſiùs Sectione II.

46 Sequitur idem Mercurius dextrâ caduceum geſtans, ſiniſtrâ Minervam amplexam tenens. Ille præeſſe credebatur eloquentiæ, hæc doctrinæ, unde apud veteres commune utrique ſacrum fiebat. Sæpius etiam utrumque numen conjunctum repræſentabatur, quod Græci Ερμαθλώην vocabant, de quo ſigno hæc ſcribit Tull. ad T. Pomponium Atticum lib. 1. ep. 3. *Quod ad me de Hermathena ſcribis, mihi pergratum eſt ornamentum Academiæ proprium meæ: quod & Hermes commune omnium, & Minerva ſingulare eſt ejus Gymnaſij. Quare velim, ut ſcribis, cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes.*

47 In hac eximia ſculptura exhibetur Hercules dextrâ pateram tenens ſuper aram ignitam, ſiniſtrâ extenſâ globum, cui victoriola impoſita eſt; pellem leoninam brachio ſuſtinet; ad ejus pedes victima, præfericulum, & clava. De leonino Herculis indumento hæc refert Albricus. *Secunda victoria Herculis notabilis fuit, quia ipſe pugnaſſe cum Leone, ipſumque clavâ mactaſſe, & interempto pellem abſtuliſſe dicitur; quo deinde ſpolio inceſſit ſemper indutus, ſignum victoriæ perceptæ: in quo etiam oſtentatur animi fortitudo, contra quam nulla vis corporea prævalet, quæ ſemper ſpolium Leonis, ideſt, vim virtutis defert.*

48 Ficus ruminalis, Lupa Romuli, & Remi nutrix, Roma, & Fauſtulus in hac gemma repræſentantur. Infantes lupino lacte nutritos fuiſſe ea de cauſa exiſtimabant veteres; teſte D. Auguſtino lib. 18. de Civit. Dei cap. 21. quòd hoc genus beſtiæ ad Martem putabatur pertinere; ideoque Lupa credebatur admoviſſe ubera parvulis, quia filios domini ſui Martis agnoverat: alij verò eosdem Accæ Fauſtuli uxoris mamillas ſuxiſſe putant, quæ propter rapacitatem, & nimiam libidinem Lupa vocabatur. De Fauſtulo loquitur Ovidius Faſtor. lib. 3.

Non ego te, tantæ nutrix Larentia gentis,
Nec taceam veſtras, Fauſtule pauper, opes.

Ficus Ruminalis meminit idem Ovidius Faſt. lib. 2.

Arbor erat, remanent veſtigia, quæque vocatur
Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.

Hæc

Hæc arbor in Comitio Romæ colebatur ſacra fulguribus ibi conditis, Ruminalis à ruminando dicta, vel quòd ſub ea pecudes æſtivo tempore nimium caloris ardorem fugientes, umbramque captantes herbas ruminare conſueverint, vel quòd ſub ea Romulus, & Remus Lupæ rumen, ideſt, mammam ſugentes inventi ſint, ut ait Plinius lib. 15. cap. 18. & Plutarchus in Romulo. Ην ἢ πλησίον ἐρινεὸς, ὃν Ρωμινάλιον ἐκάλουν . . . . . Ενταῦθα δὲ τοῖς βρέφεσι κειμένοις τὴν τε λύκαιναν ἱστοροῦσι θηλαζομένην. *Erat juxtà ficus, quam Ruminalem dicebant . . . . Ad pueros ibi jacentes Lupam tradunt lactantem curſum flexiſſe.* Romuli, & Remi originem narrat Livius lib. 1. Dec. 1. *Tenet fama*, inquit, *cùm fluitantem alveum, quo expoſiti erant pueri, tenuis in ſicco aqua deſtituisſet, Lupam ſitientem ex montibus, qui circà ſunt, ad puerilem vagitum curſum flexisſe: eam ſummisſas infantibus adeò mitem præbuisſe mammas, ut linguâ lambentem pueros magiſter regij pecoris invenerit.* Lupa cum puerulis eſua ubera ſugentibus urbis Romæ ſymbolum fuit, cujus ſimulacrum Q. Ogulinus, & Cn. Ogulinus Ædiles Curules in Urbe poſuerunt, teſte eodem Livio lib. 10. Dec. 1. *Ad ficum Ruminalem ſimulacra infantium conditorum Urbis ſub uberibus Lupæ poſuerunt.* Illos in clypeo Æneæ ſignatos deſcribit Virgilius lib. 8. Æneid.

Illic res Italas, Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus, venturique inſcius ævi
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Aſcanio, pugnataque in ordine bella
Fecerat, & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisſe Lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere linguâ.

Non ſolum Urbis ſymbolum fuit Lupa cum puerulis, ſed & Romanarum Coloniarum inſigne, quarum plurimæ illius ſimulacrum in nummis cælarunt, ut videre liquet in Antiochenis Piſidiæ, Carthaginenſibus Africæ, Coellutanis Numidiæ, Damaſcenis, Deultenis; Germenis Gallatiæ, Hipponenſibus, Neapolitanis, Patrenſibus, Philippenſibus, & Troadenſibus, de quibus diffusè, & eruditè loquitur CL. V. Joannes Foy Vaillant in libro, quem de numismatibus æreis in Colonijs percuſſis edidit. Populum Romanum originem à paſtoribus duxiſſe ſcribit Varro. *Quis* (inquit) *Fauſtulum neſcit paſtorem fuiſſe nutritium, qui Romulum, & Remum educavit? Non ipſos fuiſſe paſtores obtinebit?* Sed quantum crevit ex tenuis-

ſimis primodijs Romanorum poteſtas, miratur & ipſe Propertius lib. 4. el. 1.

Optima nutricum noſtris Lupa martia rebus,
Qualia creverunt mœnia lacte tuo.

Aſſidet Genius Romæ; ſiquidem in memoriam illius fundationis ſculptam fuiſſe hanc gemmam veriſimile eſt.

49 Cupidine Centaurum manus poſt terga vinctas habentem domante deſignatur Amoris potentia, quæ nec hominibus, nec animantibus ſcit parcere. Tibullus lib. 2. el. 1.

Ipſe quoque inter agros, interque armenta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter aquas.

Nihil ſine amore jucundum ſcribit Plautus in Caſin. act. 2. ſc. 3. Etenim perverſæ naturæ vitia corrigit; avaros facit liberales, crudeles manſuetos, &c.

Neque ſalſum, neque ſuave eſſe poteſt quicquam, ubi amor non admiſcetur.
Fel, quod amarum eſt, id mel faciet; hominem ex triſti lepidum, & lenem.

Renitentibus verò immitem ſe oſtendit: Centauri reluctantis ambas revinxit manus, puer eſt, nil ratio ſuffragatur; unde idem Tibullus lib. 1. el. 8.

. . . . *Deus crudelius urit;*
Quos videt invitos ſuccubuiſſe ſibi.

Amor Deorum fortiſſimus dicitur à Menandro, quod illius causâ per cæteros Deos pejerant amantes. Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtrom. citat Anacreontem dicentem.

Ερωτα γὰρ τὸν ἁβρὸν
Μέλπομαι βρύοντα μίτραις
Πολυανθέμοις ἀείδων.
Ὅδε καὶ θεῶν δυνάστης,
Ὅδε καὶ βροτοὺς δαμάζει
Cupidinem tenellum
Vittis cano revinctum:
Tyrannus hic Deorum eſt,
Hominesque ſubdit unus.

Sic etiam canit Euripides apud eumdem loco citato.

Ερως γὰρ ἄνδρας ὐ μόνους ἐπέρχεται,
Οὐδ' ἂν γυναῖκας ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω
Ψυχὰς ταράσσει, κἀπὶ πόντον ἔρχεται.
Cupido ſolos quippe non domat viros,

Et fœ-

Et fœminarum ſecla, ſed cælum petit,
Divosque turbat; & profunda Nerei.

Dicta confirmat Lactantius triumphalem hujus Dei pompam deſcribens lib. 1. de fal. rel. cap. 11. his verbis. *Non inſulsè quidem poëta triumphum Cupidinis ſcripſit; quo in libro non modo potentisſimum Deorum Cupidinem, ſed etiam victorem facit: enumeratis enim amoribus ſingulorum, qui in poteſtatem Cupidinis, ditionemque veniſſent; inſtruit pompam, in qua Jupiter cum cæteris Dijs ante currum triumphantis ducitur catenatus: eleganter id quidem à poëta figuratum; ſed tamen non multum diſtat à vero: qui enim virtutis eſt expers; qui cupiditatibus, ac libidinibus malis vincitur, non Cupidini (ut ille finxit) ſed morti ſubjectus eſt ſempiternæ.* Eadem ferè Tibullus lib. 1. el. 8. ſcribit de matre, quæ nos de filio locuti ſumus.

Ipſa Venus magico religatum bracchia nodo
Perdocuit multis non ſine verberibus.

Sed iſtis diutiùs immorati ſumus, ad alia progrediamur.

Solem, ſub Mithræ nomine à Perſis adoratum fuiſſe teſtantur 50
multi authores, & maximè Strabo lib. 15. Πέρσαι τιμῶσι δὲ τὸν Ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. *Perſæ* (inquit) *colunt Solem, quem Mithram vocant.* Sic etiam Suidas in voce ΜΙΘΡΟΥ. Μίθραν νομίζουσιν οἱ Πέρσαι εἶναι τὸν Ἥλιον, καὶ τούτῳ θύουσι πολλὰς θυσίας. *Perſæ Mithram putant eſſe Solem, eiq; multas victimas immolant.* Exhibetur hic Deus in hac gemma altari ſuperpoſitus: adeſt Sacerdos Perſicus primitias fructuum ei offerens, more Romanorum, qui primos fructus ex agro perceptos offerebant Deo, ut refert Plinius lib. 18. cap. 2. *Ac ne deguſtabant quidem novas fruges, aut vina, antequam Sacerdotes primitias libasſent.* Tibullus lib. 1. el. 5.

Illa Deo ſciet agricolæ pro vitibus uvam,
Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem.

Formoſisſimus puer Ganymedes Trois Phrygiæ Regis filius re- 51
præſentatur in hac gemma ſaxis inſidens, pileum phrygium capite geſtans, vas porrigens aquilæ, ſeu potius Jovi in aquilam mutato, ut ipſum ſibi pocula miniſtraturum raperet. Ovidius lib. 10. Metam.

Rex ſuperûm Phrygij quondam Ganymedis amore
Arſit: & inventum eſt aliquid, quod Jupiter eſſe,
Quam quod erat, mallet: nullâ tamen alite verti
Dignatur; niſi quæ posſit ſua fulmina ferre.
Nec mora: percuſſo mendacibus aëre pennis
Abripit Iliaden; qui nunc quoque pocula miſcet,
Invitâque Jovi nectar Junone miniſtrat.

 Ideſt,

Ideſt, juxta Lactantij interpretationem lib. 1. de fal. rel. cap. 11. Jupiter Catamitum aut per Legionem rapuit, cujus inſigne aquila erat; aut navis, in qua illum impoſuit, tutelam habuit in aquila figuratam; ſicut & taurum illa, in qua tranſvexit Europam. Scribit Xenophon in Sympoſio Ganymedem non propter corpus, ſed ob præclaras animi dotes à Jove raptum. Illum autem mutatum fuiſſe in ſignum illud, quod Aquarium vocatur, tradit Higinus in Aſtronom. Poët.

52 Mænades à furore ſic dictæ, quòd Liberum patrem inſtar inſanientium magnis ululatibus inclamarent, ſparſisque incederent crinibus, jactantes caput, & inconditos edentes motus, de quibus Juvenalis Sat. 6.

. . . . . . Et cornu pariter, vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant.

Tacitus lib. 11. Annalium Meſſalinam Imperatoris Claudij uxorem deſcribit, qualis Bacchans in hac gemma repræſentatur. *At Meſſalina non aliàs ſolutior luxu, adulto autumno, ſimulacrum vindemiæ per domum celebrabat: urgeri præla, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ aſſultabant, ut ſacrificantes, vel inſanientes Bacchæ. Ipſa crine fluxo, thyrſum quatiens, juxtáque Silius hederâ vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, ſtrepente circum procaci choro.* Thyrſus Bacchantibus datus eſt, teſte Phornuto, quòd ebriorum pedes ſuum officium difficiliter peragant: ſive, ut refert Lil. Gyraldus ſyntagm. 8. quòd raró ſine rixa compotationes finiantur. Eximia hæc ſculptura in achate exquiſitisſimi artificij extat penès Illuſtriſs. Abbatem de Geſvres Prothonotarium Apoſtolicum, qui natalium altitudini ſummam benignitatem, & doctrinam, variasque, ac præclaras nobilisſimi ſui ingenij dotes conjungit.

53 Vas iſtud ex achate pulcherrimo, & artificioſisſimè elaborato hac imagine duplo circiter grandius viſitur in celeberrima bibliotheca
54 Barberina. Multa ex illa deſumpta exhibentur in hoc libro, quorum ectypa delineandi copiam mihi benignisſimè fieri juſſit Illuſtriſs. & Excellentiſs. P. Franciſcus Barberinus Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Princeps virtutibus, & ſtudijs deditus, comitate, affabilitate, doctrinâ, & humanitate commendabilis. Mirabilia in hoc theſauro cuſtodiuntur: illic infinitæ propemodum gemmæ à clarisſimi artificibus ſcalptæ asſervantur: numiſmata ex quovis metallo, moduloque tum raritate, tùm integritate conſpicua olim ab eruditisſimo Cardinale Franciſco Barberino ſummo delectu, ſummisque expenſis congeſta longas Imperatorum, Auguſtarum, Cæſarum, aliorumque Principum, & Virorum illuſtrium ſeries conſtituunt. Plurima de

ſtatuis,

ſtatuis, tabulis, alijsque ſuperbisſimis ornamentis forent dicenda: ſed quis neſcit Ædes Barberinas architecturâ, marmoribus, picturis, ditisſimisque ſupellectilibus ſumptuoſisſimas eſſe? Illæ adeo in longinquis regionibus cognitæ ſunt, ut extranei, cùm primùm Romam Urbis inviſendæ causâ appellunt, priùs de Præneſtinorum Principum Palatio, quàm de ceteris ejusdem Urbis magnificentijs conquirantur. Exhibetur in hoc vaſe ſculpturâ elevatâ, & extante (ſi fides communi opinioni) Jovis Ammonis cum Olympiade congresſus, ex quo natus perhibetur Alexander Magnus. Hæc Regina in anteriori vaſis parte humi deſidet draconem ſinu fovens, manumque juveni forte Genio porrigit: Cupido volumen dextrâ gerens, arcum ſiniſtrâ Olympiadi ſupervolitat; adeſt ſenex Ammonem, ut creditur, repræſentans. In poſteriori parte tres figuræ ſaxis inſident, quorum media paullulum reclinata dextram ſuper caput habet reflexam, brachioque ſiniſtro innixa accenſam facem inverſam tenet.



Hunc elegantis gemmæ typum mihi benignè communicavit Ill.mus Joannes Ciampinus vir ſummæ eruditionis, ac doctrinæ, qui eam ad ſuperbos Aquæ Virginis Ductus columnis, ejusdemque Virginis ſtatuâ ornatos cenſuit referendam. Virginem Aquam à M. Agrippa in Urbem adductam narrat Frontinus lib. 1. de Aquæduct. Rom. ejusque originem deſcribit his verbis. *Idem* (Agrippa) *cum jam tertiùm Coſ. fuisſet, C. Sentio, & Sp. Lucretio Coſ. poſt annum XIII. quàm Juliam deduxerat, Virginem in agro quoque Lucullano collectam Romam perduxit. Dies, quo primùm in Urbem responderit, V. Iduum Junij invenitur. Virgo appellata eſt, quod quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monſtravit, quas ſecuti, qui foderunt, ingentem aquæ modum invenerunt. Aedicula fonti appoſita, hanc Virginem pictura oſtendit. Concipitur ergo viâ Collatinâ ad milliarium VIII. paluſtribus locis, ſignino circumjecto continendarum ſcaturiginum causâ. Adjuvatur ex compluribus alijs acquiſitionibus,*

venit

venit per longitudinem passuum XIIII.millium CV. Ex eo rivo subterraneo pass. XI. millium DCCCLXV. Supra terram per pass. MCCXL. Ex eo substructione rivorum locis compluribus pass. DXL. Opere arcuato pass. DCC. Acquisitionum ductus rivi subterranei efficiunt pass. MCCCCV. Hujus Aquæ Ductus statuis, & columnis ab eodem M. Agrippa ornatos fuisse docet Plinius lib. 36. cap. 15. cujus verba, quoniam ad istius gemmæ explicationem mirè faciunt, hìc refero. *Agrippa verò (*inquit*) in ædilitate sua, adjectâ Virgine Aquâ, cæteris corrivatis, atque emendatis lacus DCC. fecit: præterea salientes CV. CV. Castella CXXX. complura etiam cultu magnifica. Operibus iis signa CCC. ærea, aut marmorea imposuit, columnas ex marmore CCCC. eaque omnia annuo spatio.* Hæc Aqua minus abundanter fluebat, quàm Anio novus, sed alijs omnibus Appiâ videlicet, Anione vetere, Martiâ, Tepulâ, Juliâ, Alsietinâ, quæ eadem vocabatur Augusta, & Claudiâ copiosior erat; cujus major pars in Urbem dividebatur, minor verò extra Urbem exibat, teste Frontino lib. 2. qui de Virginis Aquæ divisione sic loquitur. *Exibant extra Urbem quinariæ CC. Reliquæ quinariæ MMCCCIIII. intra Urbem dividebantur per regiones VII. VIII. XIIII. In Castella XXVI. Ex quibus nomine Cæsaris quinariæ DXLIX. Privatis quinariæ CCCXXXVIII. Usibus publicis MCCCCXVII. Ex eo muneribus duobus quinariæ XXVI. Lacubus vigintiquinque quinariæ LXI. Operibus publicis sexdecim quinariæ MCCCLXXX. In quibus per se Euripo, cui ipsa nomen dedit, quinariæ CCCCLX.* Exhibentur in hac gemma duæ mulieres manibus elevatis Virgini vota facientes. Nymphis, Fontiumq; Genijs vota sæpè à Veteribus repensa liquet ex antiquis marmoribus à Grutero vulgatis, ut & à Sponio plurimas inscriptiones in suis Miscellaneis referente, quarum unam ad præsentis gemmæ dilucidationem hìc refero.

Romæ

In Via Appia.

GENIO

FONTIS

SAR.

C. IVLIVS

PROPOSTVS

D. D.

Ibidem

Ibidem etiam V. ER. duo marmora protulit; alterum quidem exhibens tres aquarum Nymphas, ſive Najades cum vaſe aquam effundente, folioque cujusdam herbæ aquaticæ, à dextra parte ſerpentem erectum Nymphis forte ſacrum, à ſiniſtra Auguſtalem Auguſtorum libertum Nympharum numini ſacrificantem: baſi inſculpta ſunt hæc verba.

NVMINI. NYMPHARVM. AQVAR.

AVGVSTALIS. AVG. G. G. LIB.

Alterum verò ſex figuras referens, Dianam videlicet, Nymphas tres, Silvanum, & Herculem cum ſequenti inſcriptione.

TI. CLAVDIVS ASCLEPIADES

ET CAECILIVS ASCLEPIADES

EX VOTO NYMFABVS D. D.

Non ſolum Najades, Fontiumque Genios colebant veteres; ſed & urbium, populorum, & civium, quos vulgo effingebant turritos, eisque ſacra faciebant, exiſtimantes illos rerum omnium gignendarum vim obtinere, populosque, & urbes in eorum præſidio, ac tutela eſſe, unde Prudentius lib. 2. contra Symmachum.

. . . . Sic urbibus adfert
Hora diesque ſuum, cùm primùm mœnia ſurgunt,
Aut Fatum, aut Genium, cujus moderamine regnent.

Suum etiam unusquisque privatum, & particularem habebat, ut docet Plinius lib. 2. cap. 7. *Quamobrem* (inquit) *major cœlitum populus etiam, quam hominum intelligi poteſt; cùm ſinguli ex ſemetipſis totidem Deos faciant, Junones, Geniosque adoptando ſibi.* Sic Auguſti Genio templum dicatum fuiſſe ſcribit Suetonius in ejus vita cap. 60. *Reges amici, atque ſocij, & ſinguli in ſuo quisque regno, Cæſareas urbes condiderunt, & cuncti ſimul ædem Jovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi ſumptu deſtinaverunt, Genioque ejus dedicare.* Arcus, ſeu Virginis ædiculæ fornici appenſa eſt lucerna: illas antiquitùs ante aras, Deorumque imagines tam in templis, quàm alibi cultus, honorisque gratià poſitas fuiſſe nemo neſcit: ſic aurea illa Callimachi apud Athenienſes in æde Minervæ collocata fuit, quæ ſine

sine ullius novi fomitis adjectione toto integro anno splendebat, ut narrat Pausanias in Atticis, & de qua scribit Hieronymus Cardanus lib. 1. de subtil. & lib. 10. de variet. cap. 40. mirabilis hujus artificij causam tentans explicare. Sic illa inextinguibilis in phano Veneris sub dio sic ardens, ut eam nullus imber, nullave tempestas extingueret, teste D. Augustino lib. 21. de Civit. Dei cap. 6. Sic illa in Britannicæ Minervæ delubro, si fides Julio Solino Polihistori, qui ait cap. 24. Britanniæ fontibus præsul esse Minervæ numen, in cujus æde perpetuus ignis procul dubio in lampadibus, lucernisve ardebat. Sic illa Jovi Ammoni dicata, quæ in ejus templo citra omnem novi fomitis adjectionem nisi exacto anno extinguebatur, ut refert Plutarchus in opusculo de Oraculorum defectu. Sic illa, de qua loquitur Strabo lib. 9. in Munychia urbe Atheniensium ad Pyreum sita vetustum Minervæ delubrum perpetuo inextinctæ lucis lychno illuminans. Plures aliæ possent recenseri, sed istæ ad gemmæ nostræ dilucidationem sufficiunt.

Hæc sunt, studiose Lector, quæ de gemmis antiquis in hac Sectione contentis habebamus dicenda: illæ pretiosiorem thesauri partem conficiunt; paucæ sunt re vera, si quantitatem attendis; si qualitatem, & raritatem, plurimarum loco tibi esse poterunt.


Ex antiqua pictura Barberina


SERAPIS
1
Apud Authorem
In diaspro rubro.


ISIS.
2
Olim Apud Authorem
In Cameo


ISIS
3
Apud Ill.mum de Gesures
In Beryllo

IVPITER·AMMON



In gemma.


MINERVA
5
Olim Apud Authorem
In Cameo


MINERVA
Apud C. A. Gallianum
In Carnico


MINERVA SIVE ASPASIA
7
Apud Abbatem Harpeur
In Cameo

APOLLO



Olim in museo Em. Card. Maximi.
In Carneola.

AESCVLAPIVS. 9



Apud Authorem in Corneola


HYGIÆA
10
Apud

SILENVS



Apud Authorem
In Carneola


BACCHA
12
Ex Schedis

BACCHA



In gemma


AFRICA
14
Apud Authorem
In gemma Sard.

SOLON

15



In gemma sard.[a]
E Thesauro Barberino


SOCRATES
16
Apud Lucam Corsi
Io. Calcedonio


PLATO
17
In Carneola
Apud Authorem



Ex Achate antiqua in Tesauro Christinæ Augustæ

LYSIMACHVS




E Tesauro Barberino
In gemma Vulga Prasma

C·COELIVS·CALDVS

20



Apud Authorem in gemma Sard.ª


CN.POMPEIVS.MAG
21
Apud Petrum Andream Andrinum
In Beryllo


22
M.TVLLIVS CICERO
In museo Ecc. P. Gasparis Altieri
In gemma sard.


23
A.POSTVMIVS ALBINVS BRVTVS.
Apud Marcum Ant. Sabatinum
In Carneola

CN. DOMITIVS. AHENOBARDVS 4



Apud C·A·Gallianum

In Carneo


C.IVLIVS.CAESAR
25
E Tesauro Barberino
In Carneola


TIBERIVS
26
In Carneola.

LVCIVS VERVS



Olim in museo Em. Card. Maximi.
In Carneolo.


28
COMMODVS
Apud Emin. Card. de Carpineo
In gemma


M.DID.SEVER.IVLIANVS
29
Apud Authorem
In Corniola

L.SEPT. SEVERVS




Apud Marcum Ant. Sabatinum
In Onyce


ELAGABALVS
Olim Apud Lucam Corsi
In gemma Vulgo Prasma


IVLIA.SABINA
Apud Authorem
In gemma Vulgo Niccolò

ISIS LOTO INSIDENS



E Thesauro Barberino
In gemma.

P. S. B. Sculp.

ISIS INTER QVATVOR ELEMENTA



Ex Schedis Io. Petri Bellorij
In gemma

CYBELE



Apud P. S. Bartolum
In Gemma


P. S. B. Sculp.



86
APOLLO
Ex Schedis
P. S. B. Sculp.


SOLIS QVADRIGÆ
37
P.S.B. Sculp.
Apud Authorem.
In Niccolo

SEPTEM PLANETÆ



Ex schedis Io. Petri Bellorij
In gemma


39
DIANA LVCIFERA
E Thesauro Barberino
In gemma
P. S. B. Sculp.

VENVS VICTRIX



Apud Authorem
In Vitro

B.S.B. sculp.

VENVS A TRITONE VECTA




Apud Marc. Ant. Sabatinum
In Calcedonio

BACCHVS A CENTAVRIS VECTVS



Apud Lucam Corsi
In Cameo

BIGÆ



Apud D. Devvith
In Cameo

AMVLETVM



Apud Authorem
In Heliotropio

MERCVRIVS ET FORTVNA



Ex Schedis Io. Petri Bellorij
In gemma

MERCVRIVS ET MINERVA



Ex schedis Io. Petri Bellorij
In gemma

HERCVLES



E Thesauro Barberino
In gemma

P. S. B. Sculp.

FICVS RVMINALIS



E Thesauro Barberino
In Carneola

P.S.B. sculp.

AMOR et CENTAVRVS




E Thesauro Barberino

In Carneola

P. S. B. Sculp.


SACERDOS PERSICVS




Apud Io. Petrum Bellorium
In Calcedonio


51
GANYMEDES
Ex schedis Io. Petri Bellorij
In gemma


MÆNAS
52
Apud Ill.mum A. De Gesures P.A.
P.S.B. Sculp
In Achate



In Tesauro Barberino.


VASIS.EX.ACHATE.PARS.POSTERIOR.
54
In Tesauro Barberino

VASIS PARS SVBTVS



Ex *Achate in Thesauro Barberino*

P. S. Bartolus Sculpsit.



ROMANUM MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO SECUNDA.

Deorum Simulacra, Idola, aliæque Imagines æreæ.



OMA gentium domina, & per excellentiam 1
Urbs dicta tamquam Dea summo cultu ab antiquis venerata est, templaque habuit tam apud Romanos, quàm apud exteros. *Alabandenses* (inquit Livius lib. 35. cap. 6.) *templum Urbis Romæ se fecisse commemoraverunt* (in Senatu) *ludosque anniversarios ei Divæ instituisse*. Alabanda fuit Cariæ oppidum, quæ regio est minoris Asiæ. Cæsar Octavianus templum Urbi Romæ, patrique Cæsari, quem Heroa Julium nominavit, Ephesi, & Nicææ clarissimis Asiæ, & Bithyniæ civitatibus fieri permisit, ut narrat Dio Cassius lib. 51. & sic in Græcis veteribus nummis ΘΕΑ ΡΩΜΗ sæpiùs inscribitur. In ipsa quoque Urbe plura ei templa ædificata sunt, inter quæ superbis-

ſimum fuit illud ab Antonino Pio erectum, cujus occurrit typus in nummis ejusdem Imperatoris cum epigraphe, ROMÆ ÆTERNÆ. Repræſentatur autem hæc Dea cum galea criſtata nudam habens mammam dextram Heroinæ inſtar eo planè modo, quo exhibetur in hac imagine, & deſcribitur à Corippo lib. 1. de laudib. Juſtini.

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exſerto & nudam geſtantem pectore mammam,
Altricem Imperij, libertatisque parentem.

Cicero in Catil. Orat. 4. Romam vocat *lucem orbis terrarum, atq; arcem omnium gentium*. Tibull. lib. 2. el. 5. immortalitatis nomen ei tribuit.

Romulus æternæ nondum formaverat Urbis
Mœnia.

Martialis ep. 8. lib. 12.

Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Iſidorus lib. 8. Orig. cap. 6. *Roma ſola Urbs, cætera Oppida*. Sed non ſoli authores profani Urbem Romam his ſublimibus titulis decorarunt; ipſum etiam audiamus Hieronymum lib. 2. contra Jovin. de illa ſic loquentem. *Urbs potens, Urbs Orbis domina, Urbs Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum, Roma, aut fortitudinis nomen eſt apud Græcos, aut ſublimitatis juxta Hebræos.*

2 Bacchus hic repræſentatur facie juvenili & muliebri, prout ab Albrico depingitur, teneroque ac delicato vultu, crinibus more puellarum collectis & pendentibus. Ovidius lib. 4. Metam.

. . . . . Tibi enim inconſumpta juventas
Tu puer æternus, Tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris cælo; tibi, cum ſine cornibus adſtas,
Virgineum caput eſt.

Vitium frondibus, & uvis coronatus exhibetur juxta ejusdem Ovidij deſcriptionem lib. 3. Metam.

Ipſe racemiferis frontem circumdatus uvis.

Harum enim ferebatur inventor; cui tamen opinioni refragatur Tertullianus in Apolog. cap. 11. Bacchum non inventorem vitis, ſeu vini uſus, ſed tantum demonſtratorem fuiſſe ſcribens. Caput Dei mitrâ vincitur ſolito ejus ornamento. Propertius lib. 4. el. 2.

Cinge caput mitrâ, ſpeciem furabor Jacchi.

Sed quare vinculo caput alligare ſolitus fuerit, declarat Diodorus apud Euſebium lib. 2. Præp. ev. cap. 2. Πρὸς δὲ τὰς ἐκ τοῦ πλεονάζοντος οἴνου κεφαλαλγίας, ἀναδεδέσθαι τὴν κεφαλὴν μίτρᾳ. *Porro* (inquit) *mitrâ quidem revinctum illum caput habuiſſe ferunt, adverſus acutos capitis dolores,*

quos

quos ex immoderato vini haustu pateretur. Flores quidam rosis similes mitræ annexi sunt adversus ebrietatem, ut docet Athenæus, valentissimis, quibus veteres non convivarum frontes tantummodo, sed & calices torosque solebant adornare. Horatius lib. 1. Carm. od. 36. *Neu desint epulis rosæ*. Et Tibullus lib. 2. el. 6.

Aut è veste sacris tendent umbracula sertis
Vincta: coronatus stabit & ipse calix.

Bacchum diversa nomina sortitum fuisse refert Ausonius ep. 30.

Ogygia me Bacchum vocat.
Osirin Aegyptus putat.
Mysi Phanacen nominant.
Dionyson Indi existimant.
Romana sacra Liberum.

Dictus est Liber à liberando, quod vinum à curis mentem liberet, tristitiæque mederi videatur: non autem ob licentiam linguæ. Auctor est Seneca lib. de tranq. vitæ. Huic imagini ab una parte subjicitur patera, seu Bacchi populum, quod & scyphus, & cantharus vocatur: ab altera phallum, cujus pompam Melampus in Græciam primus introduxit, teste Herodoto in Euterp. Plutarchus lib. de cupid. opum describens sacram Bacchi pompam, amphoram vini cum palmite, hinc hircum quem trahebat aliquis, post cistam nucum, & phallum recenset. Plura vide apud Euseb. lib. 2. Præp. ev. cap. 1. Arnobium lib. 5. adv. gent. Diodorum lib. 1. cap. 2. Augustinum lib. 7. Civit. Dei cap. 21. & 24. & Æliam Cretensem.

Bacchum sequitur Satyra, sive Fauna caprinis auribus, & erectis in 3
fronte cornibus insignis, cincta est pelle animalis per ungues ante pectus adstrictâ more Satyrorum, Bacchantium, Nebridum, aliorumque Liberi patris sequacium, qui solebant se vestire varijs caprorum, cervorum, leonum, & tigrium pellibus, juxta Claudiani descriptionem lib. 1. de rap. Proserp.

. . . . Lenisque simul procedit Jacchus
Crinali florens hedera, quem parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues.

Depingitur Bacchus ab Herodoto lib. 7. cap. 74. lævâ thyrsum 4
gestans, dextra scyphum, cujus pedibus assidet Pantheriscus. Baccho ejusque sequacibus thyrsum ideò datum esse scribit Phornutus, quòd ebriorum pedes suum officium difficiliter peragant, sive, ut docet Lil. Gyraldus syntag. 8. quòd rarò sine rixa compotationes finiantur. Caput habet cinctum mitrâ more veterum, qui capitis vinculum adversus ebrietatem subsidium continere putabant. Scyphum seu can-

 tharum

tharum tenet, quòd usus vini repertor crederetur. Fauno, vel Sileno quasi ebrius innititur, hos Bacchi sequaces fuisse narrat Suidas. Panthera ei comes tribuitur teste Philostrato Imag. lib. Παρδάλις τῶ Θεῶ σύμβολον. *Panthera Bacchi symbolum.* Ea de causa inquit Oppianus lib. 4. de Venat. quòd illa vino gaudeat.

Παρδάλιας καὶ δῶρα Διονύσοιο δάμασσαν.

Pantheras etiam dona Bacchi capiunt.

Vel ad indicandum efferatas mentes temperato vini usu mulceri, Bacchus enim Lyæus dictus est, quasi lenitatem præstans, si Fulgentio fides lib. 2. Mythol. Sic etiam Tibullus lib. 3. el. 6.

Ille facit dites animos Deus, ille ferocem
Contudit, & dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres, & fulvas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.

5 Cybele uxor Saturni vulgò repræsentatur cum corona turrita; quia ipsissima Terra habetur, quæ urbibus exculta est, ut notat Servius ad lib. 10. Aeneid. Pedem sinistrum rostro navis imponit, fortè ut denotet globum terrestrem ex aqua & terra compositum esse, terræque extremitates maritimis undis allui. Varia hujus Deæ nomina recenset Strabo lib. 10. eamque nominatam scribit Berecyntiam à Phrygibus, Rheam à Troibus Idam accolentibus, Matrem Deorum, & Agdestin, & Phrygiam, Magnam Deam; à locis autem Idæam, Dindimenen, Pylenen, & Pessinuntiam. Fuit etiam dicta Ops, quòd terrę ope vita hominum sustentetur; Vesta, sive quòd terra rebus omnibus vestiatur, seu quia vi sua stat, ut docet Ovidius lib. 6. Fastor. Mater alma ab alendo; & Pales, quòd sit pabulorum Dea; Bellonam quoque, Deam Syriam, & Isidem illam vocat Apulejus lib. 8. Metamorph.

6 Sequitur Ceres Saturni & Opis filia dextrá facem gerens. Cererem eá de causa inter Deas relatam scribit Plinius lib. 7. cap. 56. quòd docuerit molere frumentum, panemque ex illo conficere, cùm anteá homines glande vescerentur. Ovidius lib. 5. Metam.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.

Unde Frugifera nominata est, habuitque cum Baccho vini potus inventore conjuncta sacra; idem Ovidius lib. 3. Fastor.

Ipse suos ludos uvæ commentor habebat,
Quos cum Tedifera nunc habet ille Dea.

Tediferæ nomen sortita est, quòd filiam Proserpinam à Plutone raptam investigando tedis in Ætna monte accensis universum terrarum

Orbem

Orbem luſtraverit, ut notat Apollodorus lib. 1. Biblioth. Sic etiam canit Statius lib. 12. Theb.

Qualis ab Aetnæis accenſâ lampade ſaxis
Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ
Auſonium, Siculumque latus.

Eadem legum inventrix credebatur, unde à Græcis Θεσμοφόρος, & à Latinis Legifera dicta eſt.

Neptunus maris Deus hìc exhibetur paluſtribus juncis coronatus, 7
cum capillo, & barba tortis, ac prolixis, more Deorum fluviatilium; ſiniſtrâ elevatâ fortè tridentem gerens, quo triplex aquarum virtus innuitur, liquida nempe, fœcunda, & potabilis, juxta Fulgentij interpretationem lib. 1. Mythol. dextrâ extensâ fluctus marinos compeſcens, planè ut deſcribitur à Virgilio lib. 1. Aeneid. Cùm hoc ſimulacrum temporis injuriâ ambabus mutilatum ſit manibus, quid illis geſtaverit, conjectandum; fortaſsè Delphinum tenebat ſiquidem tam delphinus, quàm tridens Neptuni ſunt inſignia. *Qui Neptuno ſimulacrum faciunt*, inquit Hyginus lib. 2. Aſtronom. *Delphinum aut in manu, aut ſub pede conſtituere videmus; quod Neptuno gratisſimum esſe arbitrantur.* Hìc Deus dictus eſt à Græcis Ποσειδῶν, quod pedibus terram quatiat; ut & Ἐννοσίγαιος, ἀπὸ τῆς ἔνοσις, concusſio, & γαῖα, terra. Similiter etiam Σεισίχθων motor terræ, à verbo σείω, quatio, concutio, & χθών, *terra ſolum*. Unde ſcribit Ammian. Marcel. lib. 17. Poëtas veteres, & Theologos Neptunum humentis ſubſtantiæ poteſtatem Ennoſigæum, & Siſichthona nuncupasſe.

Mercurium dixerunt veteres quaſi mercium curam; omnem enim 8
negotiatorem dici posſe Mercurium docet Fulgentius lib. 6. Mythol. De marſupio, quod gerit, hæc Georgius Codinus de orig. Conſtant. Τοῦ κέρδους αἴτιον λέγουσι, καὶ ἐμπόρειον τὸν Ἑρμῆν· ὅθεν τὸ ἄγαλμα αὐτοῦ ἱστῶσι βαστάζειν μάρσιπον. *Mercurium lucri authorem perhibent, & præſidem mercaturæ; quocirca ſimulacrum ejus marſupium geſtare faciunt.* Ariſtophanes etiam ſtatuit eum ἐμπολαῖον; unde apud Ovid. Mercator hunc Deum alloquens ait lib. 5. Faſt.

Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro;
Et fac ut emptori verba dedisſe juvet.

Et apud Plautum in Sticho act. 3. ſc. 1.

Cum benè re geſta ſalvos convertor domum;
Neptuno grates habeo, & tempeſtatibus,
Simul Mercurio, qui me in mercimonijs
Juvit, lucrisque quadruplicavit rem meam.

Etenim Mercurij duo ſunt munera, nuncium Deorum agere, & lu-

crum afferre Mercatoribus. *Bonis nuncijs (*inquit C. Cæsar lib. 3. de bel. civ.) *afficit homines Mercurius, & nunciјs præest.* Utrumque autem munus ipsemet declarat expresse apud Plautum in prolog. Amphit.

Nam vos quidem id jam scitis concessum, & datum
Mihi esse ab alijs Dijs; nuncijs præsim, & lucro.

Hic Deus apud Græcos λόγιος dictus est, quasi studiorum, litterarum, & eloquentiæ præses juxta Budæi interpretationem in Comm. Illum Jovis & Majæ filium finxerunt veteres, ideſt, mentis & prudentiæ; ut docet Georgius Codinus, cujus verba hic refero. Τὸν Ἑρμῆν οἱ Ἕλληνες καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀρχαίων Ῥωμαίων, κατὰ τὴν αὐτῶν πεπλανημένην μυθολογίαν, υἱὸν Διὸς λέγουσι καὶ Μαίας, οἷον τοῦ νοῦ καὶ τῆς φρονήσεως. ἐκ νοῦ γὰρ καὶ φρονήσεως ὁ λόγος γεννᾶται. διὰ τοῦτο καὶ πτερωτὸν αὐτὸν ποιοῦσι, ὡς ταχύν. οὐδὲν γὰρ λόγου ταχύτερον, καὶ Ὅμηρος, ἔπεα πτερόεντα. *Græci & Romani veteres secundum falsam eorum mythologiam dicunt Mercurium Jovis & Majæ filium esse, ideſt, mentis & prudentiæ, nam ex mente & prudentia oritur oratio. Propterea etiam alatum fingunt, quia sermone nihil est velocius, unde Homerus verba vocat alata.* Caduceum, quem sinistrâ manu tenet, apertæ orationis rectitudinem significare scribit Cælius Rhodiginus lib. 21. cap. 6. Serpentes verò implicitos dissidentes orationis virtute conciliari voluntates. De caduceo meminit Isidorus lib. 8. Orig. cap. 11. *Mercurius (*inquit*) virgam tenet, quæ serpentes dividit, ideſt, venena; nam bellantes & dissidentes interpretum oratione sedantur.* Unde vocatur hic Deus à Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 12. vocis & sermonis potens. Refert Jamblichus sect. 1. de Myst. cap. 1. Aegyptios scriptores Mercurio veluti omnium inventori suos libros scribere solitos fuisse, eumque præesse sapientiæ, & eloquio. Proclus etiam lib. de Anim. & Dæm. mentionem de illo facit his verbis. *Mercurius ut Jovis nuncius paternam animis explicat voluntatem, atque ita nobis exhibet disciplinam; atque iterum, ut inquisitionis est auctor, inventionem suis præstat alumnis.* Scribit Pausanias in Arcad. Mercurium mandata Jovis præferre, animasque mortuorum ad inferos deducere: eadem leguntur apud Petronium Satyr. cap. 100. & Virgilium lib. 4. Aeneid.

Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit;
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Caduceus erat apud Græcos signum pacis, & Caduceatores vocabantur, qui ad pacem mittebantur legati, ut innuit Amm. Marcell. lib. 21. *Caduceatoribus missis ex more.* His injuriam intulisse maximum habebatur

bebatur nefas teſte Cælio Rhodigino lib. 21. cap. 6. Mercurium Auſonius furem vocat Technopag.

Inter virtutes quod nomen Mercurio? fur.

Etenim Tireſiæ fertur ſubripuisſe boves, tridentem Neptuno, Marti gladium, ſceptrum Jovi, Apollini arcum & ſagittas, forcipem Vulcano, & Veneri ceſtum. Posſidet...... le Feure aurifex gallus elegantem æream Mercurij ſtatuam, aliasque imagunculas rei antiquariæ ſtudioſorum inſpectione non indignas.

Hoc elegantisſimum Minervæ ſimulacrum in theſauro Chriſtinæ Auguſtæ asſervatur, cujus ferè ſimilis imago ſub iſtius Deæ vel Aspaſiæ nomine inter gemmas exhibita eſt. Galeam habet illa quadrigis, pegaſo, & ſphinge ornatam, quæ omnia propria ſunt Minervæ ſymbola, & quæ Sect. 1. pro ingenij noſtri modulo explicavimus. Gorgona ei ponitur in thorace ut favorabile amuletum, cui credebant veteres inesſe vim quamdam præſtandæ ſecuritatis, & abigendi pericula. 9

Sequitur aliud pulcherrimum ejusdem Minervæ ſignum habitu currentis, dextrâ forte haſtam, lævâ gorgonam pectori affixam tenentis: casſidi ſuper impoſitæ ſunt Sphingis, & Pegaſorum imagines, de quibus alibi. Currit hæc Dea vel propter *acrem minimèque retrahendum ad res impetum*, ſi fides Phornuto, vel quod *ad depellendam injuriam, atque opem ferendam ſatis eſt inſtructa, unde Victoria eſt appellata.* 10

Pingitur Diana Epheſia cum multis mammis, velut alma mater, quæ uberibus ſuis alit genus humanum. De illa mentionem facit D. Hieronymus in Epiſt. ad Epheſ. *Erat Epheſi templum Dianæ, & ejusdem in ipſo Multimammia, ideſt, multarum mammarum effigies, quia cultores ejus decepti putabant eam omnium viventium nutricem.* Celeberrimum hoc templum in nummis imperialibus occurrit: in eo centum viginti ſeptem columnæ fuerunt ſexaginta pedum altitudine, ſingulæ à ſingulis regibus factæ, ex quibus trigintaſex mirabili artificio cælatæ, quales forte ſunt Trajanæ & Antoninianæ Romæ etiam nunc extantes. Elegantem hujus templi deſcriptionem vide apud Philonem lib. de VII. Orbis Miraculis, Plinium lib. 17. cap. 40. & Vitruvium lib. 2. de Architect. cap. 9. & lib. 3. cap. 1. qui de Jonica ejus exædificatione, ambitu, & Architectis plura referunt. Scribit Plutarchus in opusculo de vitando ære alieno debitores ad hoc templum confugientes tutos à creditoribus, & intactos remanere. Hæc Dea coronam turritam gerit in capite, quia eadem credebatur Iſis, Ceres, & Cybele ſive Terra, quæ urbibus exculta eſt. *Et quoniam (*inquit Codinus 11

Codinus de Orig. Constant.) *cujusque urbis sedes terra est, fingitur turrita, quasi urbes gestaret.* Καὶ ἐπειδὴ ἕδρα πάσης πόλεως ἡ γῆ ἐστιν, ὡς βαστάζουσα τὰς πόλεις, πλάττεται πυργοφόρος. Audiamus etiam Macrob. lib. I. Saturn. cap. 20. Isidem ad instar Dianæ Ephesiæ describentem. *Isis cuncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum subjacens Soli. Hinc est, quòd continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur: quia vel terræ, vel rerum naturæ halitu nutritur universitas.* Sic Apulejus lib. 11. Metam. Isidem, Deûm Matrem, Minervam, Venerem, Dianam, Proserpinam, Cererem, Junonem, Bellonam, Hecaten, Rhammusiam unam & eamdem esse docet, *cujus numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur Orbis.* Etenim tot numinum attributa in hoc simulacro conjuncta repræsentantur: muralis nempe Phrygiæ Cybeles corona, noctilucæ Isidis velum, Cancer Lunæ, Ephesiæ Dianæ Victoriæ & mammæ, ejusdem Siculę Cervi & Apes, Magnę Matris Leones, Cereris Eleusinę Boves & Dracones, Minervæ Sphinx, Telluris deniq; glans & fructus. Vir præclari nominis, doctrinâque præstantissimus Jo. Petrus Bellorius quondam Claudij Menetreij ceimeliothecæ Barberinæ Præfecti de Symbolica Dianæ Ephesiæ statua librum in lucem restituit, suisque eruditissimis notis illustravit, & adauxit, quem consulere poterit, qui ulteriorem hujus simulacri expositionem desiderabit.

12 Similem Dianæ Luciferæ imaginem exhibuimus inter gemmas, & explicavimus. Hæc ab illa tantummodo differt, quòd Orbi insistat, quem lumine suo tamquam ardenti face conspicuum, lucidumq; reddit. Scribit Firmicus Mathes. 2. & 4. eamdem terræ imperium ex vicinitate sortitam cuncta animantia corpora concepta procreare, & generata dissolvere, ideoque omnem corporis humani substantiam ad potestatem lunaris numinis spectare. Dicta confirmat D. Ambrosius in 4. Hexam. docens Lunam id in se induere ministerium, in quod & frater ejus, ut illuminet tenebras, foveat semina, augeat fructus. Hæc Dea partubus quoque mulierum favere credebatur. *In partu* (inquit Tertullianus lib. de Anima cap. 39.) *Lucinæ & Dianæ ejulatur.* Ea de causa teste Macrobio lib. 7. Saturn. cap. 16. *Quia proprium ejus munus est distendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accelerando partui salutare est.* Unde dux nascentium, mortalium corporum auctor, & conditrix vocatur ab eodem Macrobio lib. I. in somn. Scip. cap. 11. Audiendus etiam Porphyrius apud Eusebium lib. 3. præp. ev. cap. 3. de illa sic loquens. Λοχία τε ἡ Ἄρτεμις, καίπερ οὖσα παρθένος, ὅτι ἡ τῆς νεομηνίας δύναμις προσθετικὴ εἰς τὸ τίκτειν. *Ac partui quidem tametsi virgo Diana præest, quod novilunio vis quædam*

quædam inſit, quæ pariendi facultatem afferat. Ideoque facem arden-
tem manu gerit; quâ veteres novilunij virtutem ſignificabant, teſte
eodem Euſebio loco citato. De Velo disſervimus Sect. I.

Petrus Abbas Seguinus in ſelectis ſuis numismatibus nummum 13
æreum Philippi junioris ab Antiochenſibus percusſum protulit, in
cujus averſa parte ſtantes exhibentur tres figuræ muliebres obverſis
tergis junctæ, modijs capitibus impoſitis, huic noſtræ imagini ferè
ſimiles; etenim illarum media facem utrâque manu gerit; dexterior
Serpentem dextrâ, lævâ clavim antiquæ formæ; ſiniſterior verò dex-
trâ ſtimulum, vel gladium, lævâ flagellum; pedibus illarum ab utraque
parte Canis asſiſtit. Vir eruditisſimus inſolitum hunc typum ad Furias
putavit referendum, quibus divini honores à Romanis, Græcisque
tributi fuere, ut narrant Pauſanias in Arcad. & Corinth. & Cicero
lib. 3. de natura Deorum, qui eas fanum Athenis, Romæ lucum
habuisſe ſcribit. Illuſtriſs. Spanhemius in lib. de Cæſ. Imp. Jul. fol. 54.
Gordiani Pij nummum ęreum maximi moduli in theſauro regio asſer-
vatum deſcribit, cujus averſa pars ſimilem typum exhibet, quem &
ipſe doctrinâ præſtantisſimus ad Furias credit pertinere. Summis viris
in re antiquaria facilè Principibus vix audeo refragari; ſed quia in
obſcuris verſamur, quorum interpretationes poſsunt diverſimodè
conjectari, mihi quoque licebit aliquam de hac imagine ſententiam
proferre. Hoc igitur ſimulacrum ad Hecaten referendum cenſeo,
quam Minutius Felix Triviam nominat trinis capitibus, & multis
manibus horrificam. Quid autem horribilius tedis, funibus, Serpenti-
bus, & ſtimulis? Quid proprius infernorum Deę? Canes ipſi in Seguini
nummo expresſi Hecatę immolabantur, quam veteres Equum, Taurũ,
Leænam, & Canem nominabant: auctor eſt Porphyr. lib. 4. de abſtin.
Τὴν δ᾽ Ἑκάτην ἵππον ταῦρον δὲ λέαιναν κύνα. Luna, Diana, Hecate idem
credebatur numen, ſi fides Phornuto; unde harum trium figurarum
prima Lunæ creſcenti veluti diademate coronata exhibetur, cui perſea
impoſita eſt, Iſidi, quæ eadem cum Luna habebatur, conſecrata, ut do-
cet Plutarchus in lib. de Iſ. & Oſ. Facem ardentem utrâque manu ge-
rit, quâ novilunij virtus ſignificabatur. Secunda caput habet coronâ 14
radiatâ ornatum, Reginæ Manium Inſigni, virtutem ſolarem frugum
productioni necesſariam forſan indicante: dextrâ gladium ſive ſtimu-
lum tenet, lævâ Serpentem. Pauſanias in Arcad. deſcribit ſimulacrum
Dianæ, alterâ manu lampadem, alterâ duos Dracones geſtantis, for-
tasſe quia Proſerpina, quæ eadem & Diana, pro ſegetibus accipieba-
tur, ſegetes autem ventis agitatæ Serpentum meatus imitantur; forſan
etiam Dracones iſti ad iter Lunæ fluxuoſum jisdem meatibus ſimile

F refe-

referuntur, ut & ad viperea flagra, quæ Prudentius ad Hecaten pertinere docet.

. . . . Putatur
Agmina vipereo superis inducere flagro.

Audiamus, quid de stimulo, & Dracone sentiat Eusebius lib. 2. Præp. ev. cap. 5. Κύει μὲν ἡ Δημήτηρ, ἀνατρέφεται δὲ ἡ κόρη, μίγνυται δ᾽ αὖθις ὁ γεννήσας οὑτοσὶ Ζεὺς τῇ Φερεφάττῃ, τῇ ἰδίᾳ θυγατρὶ μετὰ τὴν μητέρα, Δηῶ, ἐκλαθόμενος τοῦ προτέρου μύσους, καὶ μίγνυται δράκων γενόμενος, ὃς ἦν ἐλεγχθείς. Σαβαζίων γοῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις ὁ διὰ κόλπου Θεός. Δράκων δέ οὗτος διολκούμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων, ἔλεγχος ἀκρασίας Διός. Κύει καὶ ἡ Φερέφαττα παῖδα ταυρόμορφον ἀμέλει φησί τις ποιητὴς εἰδωλικὸς, Ταῦρος

Πατὴρ Δράκοντος, καὶ πατὴρ Ταύρου Δράκων,
Ἐν ὄρει τὸ κρύφιον Βουκόλος τὸ κέντρον.

Ceres quidem peperit, puella verò educatur: rursum ecce tibi castus Jupiter cum Pherephatta, quam ipse genuerat, post Cererem matrem congreditur execrandi flagitij prioris oblitus; & congreditur Draconis formâ tectus, sic tamen, ut qui sub ea latet, manifestò postmodum teneatur. Enim verò Sabaziorum utique mysteriorum iis, qui sacris initiantur, symbolum est, Deus sinum pervadens: Deus autem iste Draco est, qui per medium eorum, quos solemni ritu initiant, sinum trahitur, certum planè impotentis Jovis libidinis argumentum. Parit etiam Pherephatta filium Taurinâ specie, nimirum ut Idolorum cultor poëta cecinit,

Taurus Draconem genuit, & Taurum Draco,
In monte occultum Bubulcus stimulum.

15 Bubulci enim bacchico furore correpti arcana hæc facta ducentes pastoralem stimulum celebrabant. Tertia clavim antiquæ formæ dextrâ gerit, sinistrâ funes. Jano clavis tribuebatur, quem à multis eumdem creditum fuisse atque Apollinem, & Dianam refert Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 9. *Apud nos (*inquit*) Janum omnibus præesse januis nomen ostendit; quod est simile* θύρᾳ. *Nam & cum clavi, ac virga figuratur, quasi omnium & portarum custos, & rector viarum. Pronunciavit Nigidius Apollinem Janum esse, Dianamque Janam appositâ D litterâ, quæ sæpè I litteræ causâ decoris apponitur.* Pausanias verò in El. pr. describit simulacra Plutonis, Proserpinæ, & Nympharum duarum, quarum altera pilam tenet, altera clavim, quæ Plutonis insigne dicitur eâ ratione, quòd ab eo inferorum sedes ita clausa sit, ut inde nemini reditus pateat; sicque innuere videtur Hecates clavim gestans inferorum portas ab ea reserari: Funes etiam ad pœnas infernales referuntur, clavimque optimè comitantur, siquidem

dem quod ligatum est & clausum, effugere haud facilè potest. Virgilius lib. 6. Æneid.

. . . . Facilis descensus Averni,
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Laurus autem, quâ coronatum est hoc simulacrum, convenit Hecatæ, sive Lunæ, teste Eusebio lib. 3. cap. 3. quoniam à Sole ignea fit.

Mithras hìc exhibetur indumento persico amictus, tiarâque redi- 16
mitus, ut describitur à Luciano in Concilio Deorum. Genu tauro innititur, alterâ manu rostrum bovinum prehendens, alterâ cultrum ejus tergo infigens. Mithram Persæ existimabant esse Solem, teste Suidâ in voce Μίθρυ. Sic etiam Strabo lib. 15. Πέρσαι τιμῶσι καὶ τὸν Ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. *Persæ* (inquit) *colunt Solem, quem Mithram vocant.* Et Hesychius. Μίθρας ὁ Ἥλιος παρὰ Πέρσαις. Eumdem & Apollinem, & Titanem, & Osirim esse docet Statius lib. 1. Thebaid.

Phœbe parens, &c. (& deinde)
Adsis ô memor hospitij, Junoniaque arva
Dexter ames, seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemeniæ ritu, seu præstat Osirim
Frugiferum, seu Persæi sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Bos prostratus symbolum est terræ; Mithras est Sol calore suo fœcundans terram, eamque in signo Tauri cultro, idest, vi suâ penetrans, genitalemque humorem eliciens, ac semina foras protrudens ad rerum omnium procreationem, nutrimentumque animalium, quæ per Canem guttas sanguinis defluentes lambentem indicantur: Canis etiam ut astrum Tauro proximum hìc ponitur. Cauda Bovis in spicas desinens terræ fœcunditatem in hoc signo innuit; etenim mense Aprili spica è foliculo primùm erumpit. Scribit Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 21. Cancrum obliquo gressu Solis iter numquam rectum, sed meatibus plenum ostendere, & maximè in illo signo Solem à cursu supero incipere obliquum inferiora petere, sicque virtus Solaris in Tauro invalescens incipit deficere in Cancro, virtusque genitalis paulatim in illo comprimitur. Ægyptij Serpentis naturæ quamdam inesse divinitatem putabant, teste Eusebio lib. 1. cap. 7. & lib. 3. cap. 3. eumque spiritalissimum omnium animal, & igneum, proindeque fœcunditatis symbolum, unde per Serpentes & fœcunditatem, & in formarum productione varietatem designari docet eruditissimus Kircherius lib. 5. Obel. Pamphil. Aquila propter altissimam volatus velocitatem

F 2 altitu-

altitudinem Solis ostendens in summo posita est: illa etiam ob maximam pernicitatem Mithræ consecrata fuit, ut & Corvus, & Accipiter, de quibus Porphyrius lib.4. de Abstin. *Decretum apud primos habetur de animarum in diversa corpora transmigratione, id quod etiam in Mithræ mysterijs videntur significare. Ut enim communionem nobis esse cum cæteris animalibus innuant, per animalium nomina consueverunt nos interstinguere; adeò ut, qui jam initiati participes sunt eorumdem sacrorum, Leones vocent, mulieres Hyenas, famulantes autem Corvos. Itidem in patribus, Aquilæ enim, & Accipitres hi appellantur; & qui leonina assumit, circumponit sibi omnigenas animalium formas. Quorum causam afferens Pallas in jis, quæ de Mithra tradit, communem hominum opinionem esse inquit, ut ad Zodiaci orbis naturam hæc referenda judicentur.*

17 Præclarum Æsculapij signum exhibemus modium gestantis in capite, baculo, cui Serpens involutus, innixi. Ejus imaginem describit Albricus his verbis. *Æsculapius Deus medicinæ putatur cum barba valde prolixa, indutus habitu Medici, cujus manus baculum cum serpente gestabat intorto.* Modium fœcunditatis, & abundantiæ typum habet in capite, dignum sanè hujus Dei symbolum, siquidem absque bona, & perfecta valetudine nil jucundum, nil pretiosum; at cum optima salute ipsemet pauper dives, & felix habetur. Æsculapium à quibusdam eumdem cum Osiride creditum fuisse scribit Tacit. lib.4. Hist. cap.84. unde non mirum habetur, si modium imponitur capiti. Eidem baculum quasi ægrotantium sustentaculum tribui alibi diximus; Serpens verò additur baculo circumvolutus, juxta Theodoreti mentem serm. 7. quòd *morborum malignitatem deserant ægrotantes ope Medici, ut suam veterem pellem Serpentes.* De hoc simulacro sic Statius Papinius.

. . . . Maximus ægris
Auxiliator adest, & festinantia sistens
Fata, salutifero mitis Deus incubat Angui.

18 Salus Dea hìc repræsentatur dextrâ pateram gerens, cui cibus impositus est, lævâ Serpentem. De Salute, quæ eadem est atq; Hygiæa, plura diximus in gemmis. Illa ferebatur Æsculapij filia, amboque precabantur, ut morbos depellerent, & adesse vellent ægrotantibus. Sic apud Terentium in Hecyra act.3. sc.2.

Malè metuo, ne Philumenæ magis morbus adgravescat:
Quod te, Æsculapi, & te, Salus, nequid sit hujus, oro.

Serpens huic Deæ tribuitur, tum quia revalescentes renovantur, ut Serpentes, & quasi senectutem exuunt, tum quia Serpenti multa insunt

remedia

remedia saluti & acquirendæ, & conservandæ opportuna, teste Plinio lib. 29. cap. 24. Patera verò, cui cibus impositus est, sive quòd Salus medicamentis acquiratur, sive quòd solâ Deorum ope & adipiscatur, & conservetur. Ædem Salutis C. Junius Bubalcus, quam Cos. bello Samnitum voverat, Censor locavit, Dictator dicavit; hæc à Fabio pictore depicta fuit. P. Victor templum Salutis in sexta Urbis regione constituit. Salutarem portam, quòd prope ædem Salutis esset, Romæ appellatam scribit Festus.

Vulcanus hìc exhibetur pileatus, malleum dextrâ tenens ad similitudinem fabri deformis, & claudi, ut depingitur ab Arnobio lib. 6. advers. Gent. & Albrico de Deorum Imag. cui forceps additur in sinistra, & sic in nummo gentis Aureliæ visitur caput Vulcani barbatum cum pileo, & forpice pone cervicem. Hunc Deum Jovis, & Junonis filium quidam asserunt; Lucianus verò lib. 1. de Sacrific. illum solius Junonis filium declarat. Ὅμοια δὲ τούτοις καὶ περὶ τῆς Ἥρας ᾄδουσιν, ἄνευ δὲ τῆς πρὸς τὸν ἄνδρα ὁμιλίας ὑπηνέμιον αὐτὴν παῖδα γεννῆσαι τὸν Ἥφαιστον, οὐ μάλα εὐτυχῆ τοῦτον, ἀλλὰ βάναυσον, καὶ χαλκέα, καὶ πυρίτην, καὶ ἐν καπνῷ τὸ πᾶν βιοῦντα, καὶ σπινθήρων ἀνάπλεων. οἷα δὴ καμινευτὴν, καὶ οὐδὲ ἄρτιον τὼ πόδε. χωλευθῆναι γὰρ αὐτὸν ἀπὸ τοῦ πτώματος, ὁπότε ἐρρίφη ὑπὸ τοῦ Διὸς ἐξ οὐρανοῦ. *His autem similia etiam de Junone canunt, nempe hanc citra virilem congressum è subventaneo conceptu gravidam puerum edidisse Vulcanum, eum non valde fortunatum, sed fornacarium, & fabrum ærarium, ignipotentem, & in fumo perpetuo viventem, & scintillis oppletum, utpote qui circa caminos versatur: tum etiam ne pedibus quidem integrum, eum enim claudicare à casu, ex quo à Jove de cælo deturbatus est.* Ille artem fabrilem in Lemno instituit; Jovi fecit fulgura; uxores duxit Venerem, & Gratiarum unam, teste Homero, Gratiam proprio nomine appellatam. Ponitur aliquando hìc Deus pro ipso igne; hinc Mercurius Sosiam alloquens ait apud Plautum in Amphit. act. 1. sc. 1. 19

Quò ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris.

Templum habuit Athenis supra Ceramicum, & Porticum, in quo positum erat signum Minervæ, ut refert Pausanias in Attic. dicebatur enim cooperator Minervæ, quòd hæc Dea sit artium etiam illarum, in quibus usus est manuum: ille verò Deus instrumentorum, sine quibus hæ artes non possunt exerceri; unde Plutarchus in opusc. de Aq. & Ig. compar. Τέχνας δὲ πάσας καὶ ἀνεῦρε τὸ πῦρ καὶ σώζει· διὸ καὶ τὸν Ἥφαιστον ἀρχηγὸν αὐτῶν ποιοῦσι. *Ignis reperit omnes, & conservat artes; itaque etiam Vulcanum Principem, ac Ducem artium faciunt.*

Fortuna duplex fuit apud veteres; una cæca, quæ malos fovere, & 20
extollere credebatur; altera videns, quæ Isis erat, bonis omnibus saluta-

ſalutaris, eorumque præmiatrix; ſic apud Apulejum lib. 11. Metam. Sacerdos Iſidis eumdem Apulejum ſacris hujus Deæ initiaturum alloquens. *In tutelam* (inquit) *receptus es Fortunæ ſed videntis, quæ ſuæ lucis ſplendore cæteros etiam Deos illuminat.* Eadem hæc Dea hìc exhibetur dextrâ gubernaculum, ſiniſtrâ cornucopiæ gerens: capitis ejus ornamentum deſcribitur ab Apulejo libro citato his verbis. *Corona multiformis varijs floribus ſublimem diſtrinxerat verticem, cujus media quidem ſuper frontem plana rotunditas in modum ſpeculi, vel imò argumentum Lunæ candidum lumen emicabat, dextra, lævaque ſulcis inſurgentium Viperarum cohibita.* Ideoque vocatur à Valerio Flacco lib. 4. Argonaut. *Aspide cincta comas.* Iſidem creditam fuisſe & Lunam, & Cererem nemo neſcit; unde iſti viperarum ſulci referri posſunt ad iter Lunæ fluxuoſum meatibus Serpentum ſimile, ut & ad Cererem, quæ Draconibus currui alligatis cælum, ut itam dicam, ſulcavit. Ovidius lib. 4. Faſt. de Cerere.

Quò ſimul ac venit, frænatos curribus Angues
Junxit, & æquereas ſicca pererrat aquas.

Globus Aspidibus circumdatus numinis ſolaris vim fœcundativam, ſeu ſpiritum quemdam igneum univerſum permeantem ſignificabat apud Phœnices, & Ægyptios, qui, teſte Euſebio lib. 1. cap. 7. Draconis, & Serpentis naturam putabant divinam; ut & ipſe Taautes apud eumdem Euſebium Serpentem ſpiritalisſimum omnium animal, & igneum esſe tradens: temperamento autem caloris hujusmodi, & humoris provenientis ex Luna roris largisſima juſta oritur conjunctio calidi, & humidi, in qua conſiſtit omnis generatio. De cornucopiæ, & gubernaculo in ſequentibus.

21 Bupalus Sculptor primus omnium ſtatuam Fortunæ Smnyrnæis fecit polum capite ſuſtinentis, manuque Amaltheæ cornu ad declarandum illius bona: clavus eidem tribuitur vel ad ſignificandam illius firmitatem, vel ad exprimendam vim, & potentiam necesſitatis, quæ Fortunam ſæpisſimè comitatur juxta hos verſus Horatij lib. 1. Carm. od. 35. ad eamdem.

Te ſemper anteit ſæva necesſitas,
Clavos trabaleis, & cuneos manu
Geſtans aëna.

Fortunam à fortuitis nomen habere dicunt (inquit Iſidorus lib. 8. Orig. cap. ult.) *quaſi Deam quamdam res humanas varijs caſibus, & fortuitis illudentem: unde & cæcam appellant, eò quòd pasſim in quoslibet incurrens ſine ullo examine meritorum & ad bonos, & ad malos venit.* Fortunam duplicem fuisſe diximus videntem, & cæcam, ſeu bonam, & malam:

& malam: prima invocabatur, ut propitia esset; altera, ut mala imminentia averruncaret; utraque templa, & aras habuit Romæ. Plinius lib. 2. cap. 7. vesanos Fortunæ cultores irridens hæc de illa refert. *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur; una nominatur; una accusatur; una agitur rea; una cogitatur; sola laudatur; sola arguitur; & cum convitijs colitur; volubilis, à plerisque verò & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix.* Unde non mirum, si Juvenalis Sat. 6. illam vocat improbam.

. . . . stat Fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus.

Scribit Plutarchus in Aemil. Fortunam metuere fortes, ignavos premere. Sic Ovidius lib. 8. Metam.

. . . . . . Ignavis precibus Fortuna repugnat.

Lacedæmones eam admotâ manu invocabant, & fortè clavo, quem tenet, innuitur vim illi afferendam esse, ut fixa, stabilisque reddatur. Existimabant veteres hanc Deam hoc universum gubernare, Fortunamque reducem in numismatibus sæpe cum clavo depingebant.

Sequitur aliud Fortunæ simulacrum modium habentis in capite 22 abundantiæ symbolum, dextrâ navis gubernaculum, cui Delphinus, & Serpens superpositi sunt, sinistrâ cornucopiæ sustinentis. De Fortuna, ejusque attributis loquentem audias Lactantium lib. 3. de fal. Rel. cap. 29. *Is, inquam, planè vulgi, & imperitorum opinionibus credidit, qui Fortunam putat esse, quæ hominibus tribuat bona, & mala; nam simulacrum ejus cum cornucopia, & gubernaculo fingunt, tamquam hæc & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat: cui opinioni & Virgilius assentit, qui Fortunam omnipotentem vocat; & Historicus, qui ait: Sed profectò Fortuna in omni re dominatur. Quid ergo cæteris Dijs loci superest? Cur non aut ipsa regnare dicitur, si plus potest; aut sola colitur, si omnia? Vel si tantum mala immittit, aliquid causæ proferant, cur, si Dea sit, hominibus invideat, eosque perditos cupiat, cùm ab his religiosè colatur: cur æquior sit malis, iniquior autem bonis: cur insidietur, affligat, decipiat, & exterminet: quis illam generis hominum vexatricem perpetuam constituerit: cur denique tam malam sortita sit potestatem, ut res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebret, obscuretque. Hæc, inquam, philosophos inquirere oportuit potius, quàm temerè innocentem accusare Fortunam, quæ etiamsi sit aliqua, nihil tamen afferri ab his potest, cur hominibus tam inimica, sit quàm putatur.* Serpens gubernaculo superpositus designat prudentiam ad stabilitatem Fortunæ requiri:

requiri: Delphino verò innuitur eamdem navigationi præesse, & utrumque elementum ejus nutu gubernari; unde hominum hera vocatur à Plauto in Mercat. act. 5. sc. 2.

Divum, atque hominum quæ spectatrix, atque hera eadem es hominibus,

Spem speratam quoniam obtulisti hanc mihi, grates ago.

Catullus autem Ep. 64. omnes Deos heros appellat.

Hostia cælestes pacificasset heros.

Quod ad Signa Panthea, quæ sequuntur, referri potest, siquidem omnes ferè Deos conjunctos repræsentant.

23 Fortunæ succedit Abundantia caput habens herbarum frondibus coronatum, alterâ manu cornucopiæ fructibus refertum, alterâ hydriam tenens. Ab humido elemento tamquam rerum omnium principio, quæcunque terra gignit, emanare juxta Thaletis sententiam existimant Aegyptij; unde Canopum Genium humidi elementi, Deorumque omnium victorem velut hydriæ clausum referebant. Hujus sententiæ meminit Cælius Rhodiginus lib. 27. Lect. antiq. cap. 5. hydriam apud Aegyptios ad templum summâ religione deferri solitam narrans his verbis. *Quum aquarum infinitæ propemodum utilitates sint, gratissimæque, qui sacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum ostendunt res omnes è liquoris potestate consistere. Itaque cùm hydria ad templum castâ religione defertur, tunc in terram procumbentes manibus ad cælum sublatis divinæ gratias agunt bonitati.*

24 Elegantissimum exhibemus signum æreum in museo Jo. Petri Bellorij asservatum, quod omnes ferè Deos conjunctos refert, eaque de causa Pantheum à Jacobo Sponio in Miscellaneis appellatum est. Etenim capitis ornamentum Isidem; semicirculus Lunam; radij Solem; pharetra Cupidinem; alæ Victoriam, & Nemesim; Cornucopiæ, cui superposita sunt Osiridis, & Isidis capita, Abundantiam ex benignis Solis, & Lunæ influxibus provenientem; Serpens brachio intortus Aesculapium, & Hygiæam, sive Salutem; pellis caprina ex humero ante pectus dependens Bacchum; gubernaculum Fortunam; Fulmen denique Jovem indicant. Apud Sponium nihil de radijs, & fulmine.

25 Hæc imaguncula plures etiam Deos exhibet. Caput cassidé armatum Martem, & Palladem; radij Solem; urnula, sive cymbium capiti impositum Osiridem humidæ naturæ dominum; globus Aspidibus circumdatus Isidem; alæ Nemesim, & Victoriam; pharetra Cupidinem; Gorgona pectori affixa Minervam; cornucopiæ Cererem, & Abundantiam; Gallus Mercurium, & Aesculapium; caput arietinum

Ammonem,

Ammonem, Ibis Lunam, gubernaculum Fortunam significant. Lucianus in opusc. de Dea Syria describit simulacrum à se visum in Syria, quod quidem re verâ esset Juno, alios tamen Deos referret. Ἔχει δέ τι καὶ Ἀθηναίης, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Σεληναίης, καὶ Ῥέης, καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Νεμέσιος, καὶ Μοιρέων. *Cæterum habet quidpiam & Minervæ, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Dianæ, & Nemesis, & Parcarum.* His symbolis diutiùs insistere tædiosum esset; dicam tantúmmodo ad intelligentiam signorum Pantheorum veteres philosophos unum solum Deum admisisse, sed pro ratione diversorum officiorum varijs nominibus appellatum. *Fragilis & laboriosa mortalitas*, ait Plinius lib. 2. cap. 7. *in partes ista digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus quisque coleret, quo maxime indigeret. Itaque nomina alia alijs gentibus, & numina in jisdem innumerabilia reperimus.* Quod Macrobius etiam confirmat lib. 1. Saturn. cap. 17. his verbis. *Sicut Maro, cùm de una Junone diceret, quo numine læso, ostendit unius Dei effectus varios pro varijs censendos esse numinibus.* Scribit D. Hieronymus in divinis neque sexum, neque genus esse spectandum, siquidem parens illa rerum omnium natura, quam sub tot diversis nominibus colebant veteres, nil aliud est, quam ipsemet Deus, ut doctissimo sermone demonstrat Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 7. *Natura*, inquit, *hæc mihi præstat. Non intelligis te, cùm hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quam Deus, & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare, & Jovem illum optimum, ac maximum ritè dices; & tonantem, & statorem, qui non (ut historici tradiderunt) ex eo quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio ejus omnia, stator, stabilitorque est. Hunc eumdem & fatum si dixeris, non mentieris: nam cùm fatum nil aliud sit, quàm series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua cæteræ pendent. Quæcumque voles, illi nomina propriè aptabis, vim aliquam, effectumque cælestium rerum continentia. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera.* (Et mox) *Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui negas te Deo debere, sed naturæ; quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura; sed idem est utrumque, nec distat officio.*

Harpocratem Osiridis, & Isidis filium inarticulatæ vocis præsidem 26
facit Plutarchus lib. de Is. & Osir. Describitur ab Ovidio lib. 9. Metamorph.

Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.

Scribit Politianus in Miscell. cap. 83. Ægyptios suis sacris adhibere

Harpocratem, qui silentio ostenderet colendum esse summum Deorum. De illo mentionem facit D. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 5. *Et quoniam ferè in omnibus templis, ubi colebatur Isis, & Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labijs impresso admonere videretur, ut silentium fieret; hoc significare Varro existimat, ut homines eos fuisse taceretur.* Hæc imaguncula habet in capite perseam typum silentij, & veritatis; dextræ digito indice ora comprimit, lævâ sustinet cornucopiæ frugibus, & fructibus refertum, eò quòd silentium sit res salutaris, multaque bona oriantur à tacendo, & loquendo opportunè. Alis designatur contemplatio, sive perfecta mentis applicatio ad sublimiora quæque studia, cui maximè opus est silentio. *Ubi decocti fuerint cibi* (ait D. Clemens Romanus Pontifex lib. 2. recognit. ad Jacobum fratrem Domini) *& mens acceperit nocturna silentia, opportunissimè, quæ docentur, insident.* Serpens, & noctua prudentiam, & sapientiam in tacendo denotant; Cane pedibus assidente, pelleque canina ex humero dependente fidelitatem oriri ex silentio designatur. Est etiam Canis symbolum Laris sive domestici, sive compitalis, teste Ovidio lib. 5. Fastor.

At Canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat, quæ standi cum Lare caussa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,
Compita grata Deo, compita grata Cani.
Exagitant & Lar, & turba Diania fures,
Pervigilantque Lares, pervigilantque Canes.

Plutarchus in Problem. Lares vocat Deos familiares, domus præsides, caninis pellibus vestitos, quibus aliquando Canis assistit. Hæc imaguncula plures in se Deos continet, de quibus in sequenti.

27 Aliud Harpocratis signum exhibetur, quod multa numina simul conjuncta refert, ideoque Pantheum, ut & præcedens, nominandum. Radijs enim Sol designatur; semicirculo Luna; perseâ capiti impositâ Isis; digito ori apposito Harpocrates; alis Cupido; Noctuâ Pallas, sive Minerva; pelle caprinâ Bacchus; cornucopiæ Ceres, & Abundantia; Serpente baculo circumvoluto Apollo, Æsculapius, & Hygiæa; Accipitre Osiris; Cane Lares; Testudine Cybele. Sed quid hæc numina cum Harpocrate, considerandum. Harpocratem Osiridis, & Isidis filium esse diximus, Osiris autem, Sol, Apollo, & Æsculapius pro uno eodemque Deo habebantur, sicut Isis, Luna, & Ceres pro una eademque Dea, si fides Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 16. 17. 20. quod intelligendum est etiam de Minerva, ut docet Porphyrius de nat. Deor. interp.

interp. unde ſymbola his numinibus attributa filio quoque posſunt convenire. Baccho videtur adesſe debere Harpocrates, ne in vino ſecreta divulgentur. Cupido etiam optimè ſociatur cum Harpocrate, ſiquidem in rebus amatorijs ſilentio nil æque necesſarium. Teſtudo elinguis, teſte Plinio lib. 9. cap. 10. typus eſt ſilentij; convenit illa Cybeli, quia hujus Deę ſacra propalare nefas erat. De bulla, quæ ex ejus collo dependet, in Sectione ultima diffusè agemus: hæc pueris nobilibus, & prætextatis tantum concedebatur. Quid autem nobilius, quam tacere, & loqui opportunè? Debet etiam hìc Deus conſiderari, ut Lar domeſticus, cui Canem asſiſtere ſolitum ſcribit Plutarchus. De Laribus bullatis loquitur Petronius Satyric. cap. 38. *Inter hæc* (inquit) *tres pueri candidas ſuccincti tunicas intraverunt; quorum duo Lares bullatos ſuper menſam poſuerunt; unus pateram vini circumferens, Dij propitij, clamabat.* Bullas puberes facti Laribus ſuspendebant. Perſius Sat. 5.

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Sic virgines nupturæ, ut fauſtum haberent matrimonium, Pupas Veneri donabant. Idem Perſius Sat. 2.

Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine Pupæ.

Meretrices quoque ſpeculum huic Deæ dicare ſolitas docet Auſonius hoc jucundo epigrammate Laidem Veneri loquentem introducens.

Lais anus Veneri ſpeculum dico: dignum habeat ſe
Aeterna æternum forma miniſterium.
At mihi nullus in hoc uſus; quia cernere talem,
Qualis ſum, nolo; qualis eram, nequeo.

Omnes enim qui aliquam artem deſinabant, illius inſtrumenta Dijs ipſius artibus præſidibus ſuspendebant, ſacrabantque; ut legitur apud Horatium lib. 3. Od. 26. Tibullum lib. 2. el. 5. & plerosque alios authores.

Angerona Dea, Silentij præſul eadem habebatur apud Romanos, 28
qualis apud Aegyptios Harpocrates: digito ſalutari ora comprimit, fortè ad indicandum nil ſanctius esſe ad ſalutem oris ſilentio, ut ſcribit Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 26. *Ideoque* (ſubjungit) *ſacellum Angeronæ, quæ Dea præſul ſilentij obligato ore effingitur, inter antiquisſimas religiones Romæ colebatur.* Erat enim hæc Dea tutelare Urbis numen, cui Pontifices XII. Calend. Januarij in ſacello Volupiæ ſacrum faciebant, teſte Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 10. Illam ſic dictam ait Verrius Flaccus apud eumdem Macrobium loco citato, quòd angores, animorumque ſollicitudines propitiata depellat. Maſurius

verò ejus simulacrum ore obligato in ara Volupiæ propterea collocatum refert, quòd qui suos dolores, anxietatesque dissimulant, patientiæ beneficio perveniant ad maximam voluptatem.

29 Victoria pingitur aliquando alis carens: hanc refert Pausanias in Attic. sacellum habuisse Athenis in arce, ad cujus statuæ similitudinem Mantinenses quodam bello confecto unam dedicarunt. Hujus involucris Victoriæ simulacrum visitur in nummo Titi æternitatem ejus victoriarum denotans. Sepiùs verò repræsentatur alata, de qua mentionem facit Latinus Pacatus in Paneger. *Rectè profectò germana illa Pictorum, Poëtarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quò d hominum cum Fortuna euntium, non cursus est, sed volatus.* Sic Ausonius Ep. 1. eam alloquens ait

Tu quoque ab aërio præpes Victoria lapsu.

Ista hìc exhibetur orbi insistens cum alis expansis, sive ad designandam victoriam terrestrem diversam à navali rostro navis insistenti, ut in nummis Vespasiani, & Titi, sive quia hæc Dea per totum terrarum orbem dominatur. Palmam dextrâ gerit victoriæ symbolum, unde Palmaris Dea vocatur ab Apulejo lib. 2. Metamorph. *Attollebant statuas Palmari Deæ.* Lævâ coronam tenet victoris præmium, quâ eumdem coronatura est. Ovidius lib. 2. Trist. ad Cæsarem Augustum

Sic adsueta tuis semper Victoria castris
Nunc quoque se præstet, notaque signa petat.
Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis;
Ponat & in nitida laurea serta coma.

In Senatu asservabatur imago Victoriæ alatæ, de qua Ælius Lampridius in vita Alexandri Severi. *Pater eâ nocte in somnijs vidit alis se Romanæ Victoriæ, quæ in Senatu, ad cælum vehi.* Dicta est autem Victoria, teste Isidoro lib. 18. Orig. cap. 2. *Quòd vi, idest, virtute adipiscitur; hoc est enim jus gentium vim vi expellere.* Tres fratres illi assignantur, Zelus, Potentia, & Vis, sine quibus Principes nec Victoriam obtinere, nec Imperium adipisci queunt. Prudentius poëta Christianus Victoriæ numen irridet his versibus.

Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est,
Et Deus omnipotens: non pexo crine Virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioque revincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

30 Pulcherrimum istud signum æreum extans in museo nostro Herculem refert divinitatis coronam capite gestantem, dextrâ clavam, lævâ poma aurea, pelle leoninâ sinistro brachio impositâ. Hercules vitam Cynicam duxit opes amore virtutis despiciens, quapropter nudus re-

dus repræſentatur. Illius ærumnas vide apud Boëtium de Conſ. philoſoph. Apollodorum lib. 2. de Deorum imag. Ovidium lib. 9. Metam. & Auſonium Edyll. 19. Harum ſecunda pelle leonis in Nemea ſylva occiſi deſignatur, de qua hæc ſcribit Albricus. *Secunda victoria Herculis notabilis fuit, quia ipſe pugnasſe cum Leone, ipſumque clavâ mactasſe, & interempto pellem abſtulisſe dicitur; quo deinde ſpolio incesſit ſemper indutus, ſignum victoriæ perceptæ. In quo etiam oſtentatur animi fortitudo, contra quam nulla vis corporea prævalet, quæ ſemper ſpolium Leonis, ideſt, vim virtutis defert.* Narrat Diodorus lib. 1. Hiſtor. clavam, & Leonis exuvias Herculi antiquo ideò attributas fuisſe, quia nondum inventis illo tempore armis homines ſecum bellantes lignis repellebant, pellibusque belluarum pro tegumentis utebantur. Firmitatem, & vires indicari ex quercu docet Pierius Valerianus Hyerogl. lib. 54. nodoſamque fingi clavam propter difficultates, quæ virtutem indagantibus ſeſe contrà magno errorum agmine contracto frequenter objiciunt. Poma aurea Hesperidum in hortis Atlantis Mauritaniæ Regis ab Hercule ſublata Dracone cuſtode interempto canit Ovidius lib. 4. Metam.

Tempus, Atla, veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor: & hunc prædæ titulum Jove natus habebit:
Id metuens, ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Mœnibus, & vaſto dederat ſervanda Draconi.

Per Draconem extinctum ſignificatur impoſitus concupiſcentiæ modus: per tria mala in manu Herculis intelliguntur tres illius virtutes inſigniores, una excandeſcentiæ moderatio, altera avaritiæ temperamentum, tertia generoſus voluptatum contemptus. Auctor eſt idem Valerianus loco citato referens, ſi quando Bos huic Deo immolandus aufugisſet, malum eidem ramis quatuor compoſitis quadrupedis illius inſtar ſacrificari, quod aliqui à Bœotis, alij ab Athenienſibus factum volunt. Hercules ob fortitudinem inter Deos relatus perhibetur, cujus conſecratio per coronam divinitatis, & immortalitatis ſymbolum deſignatur. Illum autem eumdem cum Sole declarat Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 20. unde duodecim illius ærumnæ ad totidem Zodiaci ſigna videntur referendæ. Lindij cum convitijs, & maledictis eum colebant; ſi quis enim inter ſolemnes ritus, ſacrasque cærimonias bonum verbum imprudenter protulisſet, ſacra pro violatis habebantur. Mulieribus prohibitum erat hujus Dei ſacris immiſceri, eisque per Herculem jurare nefarium, & illicitum fuisſe ſcribit Varro, cui tamen opinioni refragatur Plautus in Trucul. act. 2. ſc. 1. Aſtaphium ſic loquentem introducens.

Ha, ha,

Ha, ha, ha! Herclè quievi, quia introivit odium.

31 Sequitur aliud Herculis simulacrum pariter asservatum in museo nostro, caput habentis vitium frondibus, & uvis coronatum, alterâ manu scyphum gestantis, alterâ clavam, pelle leoninâ sinistro brachio impositâ. *Scyphus Herculis poculum est*, inquit Macrobius lib. 5. Saturn. cap. 21. *ita ut Liberi patris cantharus; Herculem verò fictores veteres non sine causa cum poculo fecerunt, & nonnumquam quassabundum, & ebrium, non solùm quòd is heros bibax fuisse perhibetur, sed etiam quòd antiqua historia est Herculem poculo tamquam navigio ventis immensa maria transiisse.* De illius ebrietate consulendus est Athenæus, qui de ea multis in locis agit, refertque Herculem ex magno voluminum numero elegisse illum, cui titulus erat, OBSONIORUM APPARATVS.

32 Canopus apud Aegyptios Genius humidi elementi habebatur, Deorumque potentissimus, quod ignem Chaldæorum Deum aquâ Niloticâ in circumdato vase contentâ extinxisset. Jucundum hoc miraculum refertur à Ruffino lib. 2. Histor. Eccles. cap. 26. *Ferunt* (inquit) *aliquando Chaldæos ignem Deum suum circumferentes cum omnium provinciarum Dijs habuisse conflictum, quo scilicet, si vicisset, hic Deus ab omnibus esse crederetur. Reliquarum provinciarum Dij æris, aut auri, argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacumque materia constabant, quæ per ignem procul dubio corrumperetur; ex quo fiebat, ut omnis locis omnibus obtineret. Hæc cum audisset Canopi Sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriæ fieri solent in Aegypti partibus fictiles undique crebris, & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus turbida aqua desudans defecatior, ac purior redditur. Harum ille unam cerâ foraminibus obturatis, desuper etiam varijs coloribus pictam, aquâ repletam statuit in Deum; & excisum veteris simulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput desuper positum diligenter aptavit. Adsunt post hæc Chaldæi; itur in conflictum: circa hydriam ignis accenditur: cera, quâ foramina fuerant obturata, resolvitur: sudante hydriâ ignis extinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Chaldæorum victor ostenditur: unde ipsum Canopi simulacrum pedibus perexiguis, attracto collo, & quasi sugillato, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorso æqualiter tereti formatur. Ex hac persuasione velut Deus victor omnium colebatur.* Ille hìc veluti hydriæ clausus humana, & juvenili facie insurgit, basique innititur: caput velatum est fasciolis circa collum de more pendentibus, ac pectore medio, circaque humeros glans dependet, primi nutrimenti index. Tibullus lib. 2. el. 3. *Glans aluit veteres.*

In prima

In prima hydriæ facie exhibentur duo Genij sedentium habitu baculis insignes, quorum unus canino vultu Anubin indicat, alter Felis specie Genium Lunarem. Canis etiam refertur ad Isidem, teste Plutarcho lib. de Is. & Osir. quæ ipsissima Luna est; unde istis Genijs videtur indicari præsidium tutelare in humidum elementum, à quo tamquam rerum principio, quæcumque terra gignit, emanare juxta Thaletis sententiam existimabant Aegyptij. Sedent ambo ad denotandam stabilitatem, quam mundo elementari Lunares Genij conferunt; mala etiam imminentia averruncare credebantur, quod per baculos malorum aversionis symbola designatur. Verùm quia Lunares Genij humidæ naturæ præsides generationem perficere nequeunt, nisi adjuventur à cælesti Osiri, idest, à calore Solis fœcundativo; hinc Accipiter in summo positus est, quo picto Aegyptij Regem suum Osirim indicabant, ut docet Plutarchus loco citato. Γράφουσι καὶ ἱέρακι τὸν θεὸν τοῦτον πολλάκις· εὐτονίᾳ γὰρ ὄψεως ὑπερβάλλει, καὶ πτήσεως ὀξύτητι. *Accipitre etiam picto Osirim sæpe proponunt: avis enim ea pollet acumine visus, & volatus celeritate.* Scribit Porphyrius lib. 4. de Abstin. Accipitrem apud Aegyptios Solis imaginem esse totam substantiam habentem ex sanguine, & spiritu constantem. Audiamus etiam Horum Apollin. lib. 1. Hier. 6. de Accipitre sic loquentem. Θεὸν βουλόμενοι σημῆναι, ἢ ὕψος &c. ἱέρακα ζωγραφοῦσι. Θεὸν μὲν, διὰ τὸ πολύγονον εἶναι τὸ ζῶον, καὶ πολυχρόνιον ἔτι γε μὴν, ἐπεὶ καὶ δοκεῖ εἴδωλον ἡλίου ὑπάρχειν παρὰ πάντα τὰ πετεινὰ πρὸς τὰς αὐτοῦ ἀκτῖνας ὀξυωποῦν, ἀφ' οὗ καὶ οἱ ἰατροὶ πρὸς ἴασιν ὀφθαλμῶν τῇ ἱερακίᾳ βοτάνῃ χρῶνται. ὅθεν καὶ τὸν ἥλιον ὡς κύριον ὄντα ὁράσεως, ἔσθ' ὅτε ἱερακόμορφον ζωγραφοῦσιν. Ὕψος δὲ, ἐπεὶ τὰ μὲν ἕτερα ζῶα εἰς ὕψος πέτεσθαι προαιρούμενα, πλαγίως φέρεται, ἀδυνατοῦντα κατ' εὐθὺ χωρεῖν, μόνος δὲ ἱέραξ εἰς ὕψος κατ' εὐθὺ πέτεται. *Deum quum volunt significare, aut sublimitatem, &c. Accipitrem pingunt. Deum quidem, tum quòd fœcundum sit, ac diuturnæ vitæ hoc animal, tum etiam quòd Solis præter cæteras volucres simulacrum esse videatur, utpote peculiari quâdam, atque occultâ naturæ vi, defixis in ejus radios oculis intuens. Atque hinc est, quòd Medici ad sananda oculorum vitia, hieraceo herbâ utuntur. Inde etiam fit, ut Solem interdum tamquam visus tutorem, & dominum Accipitris formâ pingant. Sublimitatem verò, quia quum cætera quidem animantia, quoties in sublime tolli volunt, obliquè ferantur, nec recta sursum evehi possint, solus Accipiter recta in altum volat.* Narrat Aelianus lib. 12. de Animal. cap. 4. solos Accipitres de avibus intentis oculis adversus Solis radios intueri, ac supino interdum volatu ferri, rerum inspectorem omnium liberè, intrepidèque aspectantes. Per calathum accipitrino capiti impositum numinis solaris omnia in altum

altum trahentis poteſtatem deſignari teſtatur Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 20. *Cujus vertex inſignitus calatho, & altitudinem ſyderis monſtrat, & potentiam capacitatis oſtendit: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immiſſo calore rapiuntur.* Harpocrates, qui idem eſt & Horus, ſive, ut loquitur Plutarchus in opuſculo de Iſ. & Oſir. Ἡ πάντα σώζουσα καὶ τρέφουσα τοῦ περιέχοντος ὥρα καὶ κρᾶσις ἀέρος. *Tempeſtas, ac temperies aëris ambientis omnia ſervans, atque alens,* digitum ori admovendo ſilentium ſuadere videtur, ut monſtret ſapientiæ, & arcanorum majeſtatem profanis minimè divulgandam eſſe, ſacraque myſteria ſolo ſilentio veneranda; quæ omnia Porphyrius apud Euſebium lib. 4. Præp. ev. cap. 8. expreſſè diſcipulo ſuo præcipit his virbis. Σὺ δ' εἴπερ τι καὶ ταῦτα πειρῶ μὴ δημοσιεύειν, μηδ' ἄχρι καὶ τῶν βεβήλων ῥίπτειν αὐτὰ, δόξης ἕνεκα ἢ κέρδους, ἢ τινὸς ἄλλης οὐκ εὐαγοῦς κολακείας.'...... *Tu verò,* inquit, *cave, ſi quicquam aliud ne res iſtas palàm extuleris, & gloriæ, lucrive cupiditate, vel cujuſcumque minus religioſæ aſſentationis ſtudio ante profanorum hominum oculos projeceris.....* (Et mox) Ταῦτά μοι, ὡς ἀῤῥήτων τὰ ἀῤῥητότερα, κρύπτειν. οὐδὲ γὰρ οἱ θεοὶ φανερῶς περὶ αὐτῶν ἐθέσπισαν, ἀλλὰ δι' αἰνιγμάτων. *Hæc tu,* inquit, *vide ſis ut arcanis ipſis arcana magis, & occulta habeas, propterea quod nihil de ſe Dij planum, atque perſpicuum, ſed obſcura omnia ſuis oraculis effati ſunt.* Sic Baſilides diſcipulis ſuis quinquennij ſilentium Pythagoræorum more præcipiebat, timens ne illius ſacrorum impuritas evulgaretur, hoc dans eis præceptum. *Date operam, ut omnia cognoſcatis, nemo verò vos cognoſcat.* Ex Iræneo lib. 1. adverſ. hæreſ. cap. 23. Epiphanio hæreſ. 24. & Theodoreto lib. 1. hæret. fabul. cap. 4. Eadem refert de hæreticis D. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 70. *Docebant* (inquit) *diſcipulos ſuos, ut juramento interrogati, & requiſiti, nihil umquam revelarent de illorum doctrina, & ad illius doctrinæ occultationem dicebant licitum eſſe perjurium; quapropter hanc ſemper in ore verſabant ſententiam,*

Jura, perjura, ſecretum prodere noli.

Hoc etiam videtur innuere Apulejus lib. 11. Metamorph. de cærimoniarum arcanis, Deorumq; myſterijs loquendo. Verba ejus hæc ſunt. *Tunc ſemotis procul profanis omnibus, linteo rudique me contectum amicimine, arreptâ manu Sacerdos deducit ad ipſius ſacrarij penetralia. Quæras forſitan ſatis anxiè, ſtudioſe Lector, quid deinde dictum, quid factum? Dicerem, ſi dicere liceret; cognoſceres, ſi liceret audire: ſed parem noxam contraherent aures, & linguæ illæ temerariæ curioſitatis.* Flagellum, ſeu ſcuticam tenet Harpocrates tamquam malorum expulſor. Globus Aſpidibus circumdatus indicabat apud

Aegyptios

Aegyptios vim quamdam igneam univerſum penetrantem, & fœcundantem, vitamque, & motum ſingulis mundi partibus impartientem, ut refert Abenephius apud Kircherium lib. 5. Obel. Pamph. fol. 420. *Per figuram Aspidis ſphæram circumdantem vitam, & motum, & fœcunditatem mundi deſignabant.* Aspides globos habent capitibus impoſitos, quibus ſoliditatem, & virtutem corroborativam rebus conferendam innuebant; per alas verò Spiritum Dei mundum motu vivificantẽ, ſeu velocem divini Spiritus in mundos ſenſibiles impulſum. Scribit eruditiſſimus Kircher. lib. cit. f. 399. & ſeqq. per globũ, vel circulum, ſeu ſphæram, ſignificari æternam illam, & immenſam Dei eſſentiam, puram, & ſimplicem, nullisque terminis definitam, quam nunc Patrem, nunc Mentem primam, nunc Intellectum ſupremum appellat Mercurius Trismegiſtus, qui primus admirandum Ss. Trinitatis myſterium asſeruit in Pimandro. Per Serpentem ſecundam Divinitatis formam exprimi, notarique Dei fœcunditatem. Per alas autem tertiam indicari, quam Platonici & Spiritum univerſi, & animam mundi appellant. Scarabæus in infima hydriæ parte poſitus eſt: ille mundum ſignificabat apud Aegyptios, ut & multa alia, quæ recenſet Horus lib. 1. Hierogl. 10. Μονογενὲς δὲ δηλοῦντες, ἢ γένεσιν, ἢ πατέρα, ἢ κόσμον, ἢ ἄνδρα, κάνθαρον ζωγραφοῦσι. *Unigenam autem ſignificantes, aut ortum, aut patrem, aut mundum, aut virum, Scarabæum pingunt.* Ipſum etiam animatam Solis effigiem repræſentare teſtatur Euſebius. Plinius quoque lib. 30. cap. 11. de eodem inſecto ſic ait. *Aegypti magna pars Scarabæos inter numina colit, curioſâ Apionis interpretatione, quâ colligat Solis operum ſimilitudinem huic animali eſſe, ad excuſandos gentis ſuæ ritus.* Propriè tamen mundum, ad cujus figuram ejus procreatio, & fœtus accedit teſte Horo loco citato, hìc videtur deſignare, benignos Oſiridis & Iſidis, ideſt, Solis & Lunæ influxus ad rerum omnium procreationem neceſſarios in ſe recipientem,
quibus fœcunditate, & ubertate repletur. In ſecunda, & tertia hydriæ
faciebus exhibetur Iſis, quam Apulejus lib. 11. Metam. vocat Matrem 33
ſyderum, Parentem temporum, Orbisque totius Dominam: ſindone 34
tecta eſt, florem ſacrum gerens in capite, globumque Aſpidibus circumdatum ſolitum ejus capitis ornamentum, vel modium abundantiæ, & fœcunditatis ſymbolum, ſive calathum frugum maturitatis indicem, ut docet Porphyrius apud Euſebium lib. 3. Præp. ev. cap. 3. Ὁ δὲ κάλαθος, ὃν ἐπὶ τοῖς μετεώροις φέρει, τῆς τῶν καρπῶν κατεργασίας, οἷς ἀναστρέφει καὶ τὴν τοῦ φωτὸς παραύξησιν. *Calathus autem is, quem ipſa geſtat, ubi altiorem in locum ſubvecta jam eſt, frugum maturitatem, quam jis circa luminis incrementum alendis efficit, repræſentat.* Situlam tenet ad de-

notandam humidam vim Lunæ; etenim hæc Dea Lunaris vis credita eſt, quæ ſemina fovet humore, donec Sol eadem ſublevat ad generationem: eaque de cauſa in ejus ſacris amphoram aquæ inter myſteria efferri moris fuiſſe narrat Plutarchus lib. de Iſ. & Oſ. quod Lucianus in Dea Syria hiſce verbis confirmat. Ἀγγήϊον ἕκαστος ὕδατι σεσαγμένον φέρουσι. κηρῷ δὲ τάδε σεσήμανται. *Vas unusquisque aquâ repletum portat, idque cerâ obſignatur.* Situla refertur etiam ad myſticas Aegyptiorum cærimonias, denotabatque apud eos inundationem Nili, omniumque lacunarum fluentiam ex humida Lunę vi provenientem. Iſis omnium vita, ſi fides Jamblico ſect. 6. de Myſter. cap. 7. tamdiu perfecta, & permanens futura, quamdiu illius eſſentia nudis verbis minimè propalabitur; natura enim gaudet abſcondi, & ob id veteres Philoſophi ſilentium diſcipulis ſuis expreſſè præcipiebant, ut jam diximus. Verba Jamblichi ſunt. Διὰ τοῦτο γὰρ μένει ἐν τάξει τὰ τοῦ παντὸς μέρη, διότι ἡ ἀγαθοποιὸς τοῦ Ὀσίριδος δύναμις ἁγνὴ, καὶ ἄχραντος μένει, καὶ οὐ συμμίγνυται πρὸς τὴν ἐναντίαν πλημμέλειαν καὶ ταραχήν. μένει δὲ καὶ ἡ τῶν ὅλων ζωὴ καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος· ἐπειδὴ τὰ ἀπόκρυφα ζωογόνα τῶν λόγων κάλλη τῆς Ἴσιδος οὐ κάτεισιν εἰς τὸ φαινόμενον καὶ ὁρώμενον σῶμα. ἀκίνητα δὲ διατελεῖ πάντα καὶ ἀειγενῆ, διότι οὐδέποτε ἵσταται ὁ τοῦ ἡλίου δρόμος· τέλεια δὲ καὶ ὁλόκληρα διαμένει πάντα, ἐπειδὴ τὰ ἐν Ἀβύδῳ ἀπόρρητα οὐδέποτε ἀποκαλύπτεται. οἷς οὖν ἔχει τὴν σωτηρίαν τὰ ὅλα, λέγω δὲ ἐν τῷ τὰ ἀπόρρητα κεκρυμμένα ἀεὶ διατηρεῖσθαι, καὶ ἐν τῷ τὴν ἀφθέγκτον τῶν θεῶν οὐσίαν, μηδέποτε τῆς ἐναντίας καταλαμβάνειν μοίρας. *Hanc etiam ob cauſam mundi partes in ordine permanent, quòd benefica Oſiridis poteſtas ſincera permanet, & incorrupta, neque contrario tumultu, & errore permiſcetur. Permanet inſuper omnium vita pura, & ſemper incorrupta, quatenus vivificæ, formoſæque rationes, quæ in Iſide reconditæ ſunt, non deſcendunt in hoc noſtris ſenſibus familiare corpus. Porro permanent omnia immobilia, & perpetuæ generationis ſucceſſione æterna, quatenus numquam impeditur Solis curſus: deinde perfecta, & integra permanent omnia, quamdiu quæ in Abydo recondita ſunt, numquam aperiantur. In quibus igitur ſalus univerſi conſiſtit: conſiſtit autem in eo, ut quæ arcana ſunt, ſemper maneant abſcondita, & ſecretiſſima Deorum eſſentia numquam contrariam ſubeat ſortem.* Hinc ſindone tecta eſt, floremque forſan perſicum gerit in capite ſilentij, & veritatis ſymbolum. Cercopithecus, ſeu Cynocephalus eſt ſpecies quędam Simiarum caudatarum: hoc animal magnam cum Luna ſympathiam habere dignoſcitur, ſi quidem eâ deficiente fertur triſtari, exoriente verò lætari; unde Luna creſcenti tamquam diademate coronatum hìc, ut in tabula Bembina, exhibetur. Cynocephalum Lunæ ſacrum dicit Jamblichus ſect. 5. de Myſter. cap. 8. Οἷον κυνὸς, κυνοκεφάλου, μυγαλῆς, κοινὰς

οὔσας

οὔσας πρὸς σελήνην. *Sic Canem, & Cynocephalum, & Mustellam Lunæ communes faciunt.* Hujus animalis cum Luna sympathiam exactissimè refert Horus lib. 1. Hierogl. 14. his verbis. Σελήνην δὲ γράφοντες, &c. κυνοκέφαλον ζωγραφοῦσι. Σελήνην μὲν, ἐπειδὴ τὸ ζῶον τοῦτο συμπάθειάν τινα πρὸς τὴν τοῦ θεοῦ συνόδον ἐκτήσατο. ὅταν γὰρ ἐν τῷ μέρει τῆς ὥρας ἡ σελήνη συνοδεύουσα ἡλίῳ ἀφώτιστος γένηται, τότε ὁ μὲν ἄρσην κυνοκέφαλος οὐ βλέπει, οὐδὲ ἐσθίει· ἄχθεται δὲ εἰς τὴν γῆν νενευκὼς, καθάπερ πενθῶν τὴν τῆς σελήνης ἁρπαγήν. ἡ δὲ θήλεια μετὰ τοῦ μὴ ὁρᾷν, καὶ ταυτὰ τῷ ἄρρενι πάσχειν, ἔτι τε καὶ ἐκ τῆς ἰδίας φύσεως αἱμάσσεται. διὸ καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἐν τοῖς ἱεροῖς τρέφονται κυνοκέφαλοι, ὅπως ἐξ αὐτῶν γινώσκηται τὸ ἡλίου καὶ σελήνης μέρος τῆς συνόδου. *Lunam demonstrantes, &c. Cynocephalum pingunt. Lunam quidem, propterea quòd animal hoc consensum quemdam cum Dei congressu, ex quo & affici soleat, habet. Ubi enim aliquanto tempore Luna cum Sole congrediens, expers luminis, opacaque permanet; tum mas quidem Cynocephalus nec quoquam intuetur, nec vescitur: sed demisso in terram vultu indignabundus, velut Lunæ raptum deplorans, mœret. Fœmina verò, præterquam quòd nusquam oculos contorquet, eadem cum masculo patitur, & insuper è genitali vase sanguinem emittit. Ideoque ad hæc usque tempora in sacris templis Cynocephali nutriuntur, ut ex ipsis conjunctionis Solis, & Lunæ tempus cognosci possit.* Duo Cynocephali, ut in hac hydria, sedentes Lunæ accessum, & recessum à tropico ad tropicum, duoque anni æquinoctia indicant, teste eodem Horo lib. 1. Hierogl. 16. Ἰσημερίας δὲ δύο πάλιν σημαίνοντες, κυνοκέφαλον καθήμενον ζωγραφοῦσι ζῶον. ἐν ταῖς δυσὶ γὰρ ἰσημερίαις τοῦ ἐνιαυτοῦ, δωδεκάκις τῆς ἡμέρας καθ' ἑκάστην ὥραν οὐρεῖ. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ταῖς δυσὶ νυξὶ ποιεῖ, &c. ἐν ταῖς ἰσημερίαις μόνος τῶν ἄλλων ζώων δωδεκάκις τῆς ἡμέρας κράζει καθ' ἑκάστην ὥραν. *Rursum æquinoctia significantes, idem animal Cynocephalum sedentem pingunt. Duobus enim anni æquinoctijs duodecies in die per singulas nimirum horas urinam reddit, idemque & noctu facit.* (Et deinde) *Solus ex omnibus animantibus æquinoctio duodecies in die per singulas horas adlatrat.* In hac hydria Cynocephali vestimento quodam reticulato induti sunt ad denotandam rerum omnium connexionem, sine qua mundus perfectus esse nequit: De hac necessaria connexione loquitur Trismegistus in Asclepio. *Fatum* (inquit) *ò Asclepi, sive* εἱμαρμένη, *ea est necessitas omnium, quæ geruntur, semper catenatis nexibus juncta.* Et mox. *Hæc itaque* εἱμαρμένη, *sive fatum rerum omnium parit principia, altera verò cogit ad effectum, quæ ex illis primordijs dependent. Has ordo sequitur, idest, contextus, & distinctio temporis rerum perficiendarum. In omnibus his Mundus iste est perfectus, omnia itaque individuo connexa sunt glutino.* Apulejus lib. 11. Metam. Simiam introducit in pompam Isidis; Cyno-

cephali autem, ſive Cercopitheci ſunt in numero Simiarum, ſed efferationis naturæ perhibentur. Crocodilus malignam, & perniciosſam Typhonis naturam denotat: Typhon nil aliud eſt, quam vis aduſtiva rerum omnium procreationi contraria, quam Iſis, ideſt, Luna humidis ſuis influxibus corrigit; ideoque Crocodilo Cynocephalus inſidet, hoc eſt, Genius Lunaris vi ſuâ ſuperdominativâ perniciosſam Typhoniam vim ſibi ſubditam tenet, & deſtruit. Audiamus Plutarchum, qui de maligna Typhonis natura ab Iſide ſuperata hæc ſcribit lib. de Iſ. & Oſ. Τῆς δὲ Ἴσιδος πάλιν ἀναλαμβανούσης τὸν Ὄσιριν, καὶ αὐξανούσης τὸν Ὧρον ἀναθυμιάσεσι καὶ ὁμίχλαις, καὶ νέφεσι ῥωννύμενον, ἐκρατήθη μὲν, οὐκ ἀνῃρέθη δὲ ὁ τυφών. οὐ γὰρ εἴασεν ἡ κυρία τῆς γῆς θεὸς ἀναιρεθῆναι παντάπασι τὴν ἀντικειμένην τῇ ὑγρότητι φύσιν, ἀλλ᾽ ἐχάλασε καὶ ἀνῆκε, βουλομένη διαμένειν τὴν κρᾶσιν· οὐ γὰρ ἦν κόσμον εἶναι τέλειον, ἐκλείποντος καὶ ἀφανισθέντος τοῦ πυρώδους. *Rurſum ubi Oſirim Iſis recepit, & Horum educat exhalationibus, & nebulis, ac nubibus creſcentem, & roboratum: ſuperatus quidem, non tamen interfectus eſt Typhon; non enim paſſa eſt Dea, quæ terræ domina eſt, undiquaque aboleri naturam humori contrariam; ſed dimittit eam, & laxat, cupiens temperiem relinqui, quia non poterat Mundus eſſe perfectus abolitâ igneâ naturâ.* Typhon aliquando ſignificat exceſſivum humorem plantis, alijsque rebus nocivum; omne enim in natura defectivum indicat. De illo in Crocodilum mutato hæc narrat idem Plutarchus loco citato. Ἐν δὲ Ἀπόλλωνος πόλει νενομισμένον ἐστὶ κροκοδείλου φαγεῖν πάντως ἕκαστον. ἡμέρᾳ δὲ μιᾷ θηρεύσαντες ὅσους ἂν δύνωνται, καὶ κτείναντες ἀπαντικρὺ τοῦ ἱεροῦ προβάλλουσι, καὶ λέγουσιν ὡς ὁ τυφὼν τὸν Ὧρον ἀπέδρα κροκόδειλος γενόμενος, πάντα καὶ ζῶα καὶ φυτὰ καὶ πάθη τὰ φαῦλα καὶ βλαβερὰ, Τυφῶνος ἔργα καὶ μέρη καὶ κινήματα ποιούμενοι. *In Urbe Apollinis ſtatutum eſt, ut quiſque omnino de Crocodilo edat: certâ autem die quadam venati, quotquot poſſunt, Crocodilos, interficiunt, & ex adverſo templi abjiciunt, Typhonem dicentes in Crocodilum mutatum Horo ſe fugâ eripuiſſe: ita omnia animalia, ſtirpes, & eventa mala, atque damnoſa Typhonis opera,*
35 *& effecta putant.* In adverſa hydriæ parte exhibetur Genius Polymorphus utrâque manu gladium tenens, quem Valerianus lib. 42. Imperij ſymbolum eſſe docet: omnia enim ille in ſingulis Genijs operatur, exceſſusque defectuoſos rerum procreationi contrarios ad mediocritatem reducit. Hunc Genium paſſim Ægyptij cum ipſo ſupremo numine confundebant, unde ad eum reſpexiſſe videtur Jamblichus hæc ſcribens ſect.8. de Myſter. cap.3. Κατ᾽ ἄλλην δὲ τάξιν προστάττει θεὸν τὸν Ημῆφ, τῶν ἐπουρανίων θεῶν ἡγούμενον. ὅν φησιν νοῦν εἶναι αὐτὸν ἑαυτὸν νοοῦντα, καὶ τὰς νοήσεις εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέφοντα. τούτου δὲ τὸ ἓν ἀμερὲς, καὶ ὅ φησι πρῶτον μάγευμα προτάττει· ὃν καὶ Εἰκτὼν ἐπονομάζει. ἐν ᾧ δὴ τὸ πρῶτόν ἐστι νοοῦν, καὶ τὸ πρῶτον νοητὸν,

ὃ δὴ

ὃ δὴ καὶ διὰ σιγῆς μόνης θεραπεύεται. *Secundum verò alium ordinem Deum Emeth, tamquam ducem, Dijs cæleſtibus pręponit. Ait hunc eſſe mentem ſeipſam intelligentem, & alias intellectiones ad ſe convertentem. Ante hunc unum impartibile ponit, quod etiam primam effigiem appellat, & Eicton. In quo primùm, quod intelligit, & intelligitur, reperitur, quodque ſolo ſilentio colitur.* Tutulum, ſeu calathoformem tiaram capite ſuſtinet Genij tutelaris, & Principatus ſymbolum; cujus ſummitas pennis, & globo inſignita eſt velocem divini ſpiritus in mundos ſenſibiles impulſum indicantibus. Veſtitus eſt ille, quia divinarum idearum rationes occultæ ſunt: ſtat indiſcretis pedibus, quia, licet ſemper ſit in motu, ſuâ tamen naturâ immobilis eſt; unde ſcribit Heliodorus lib. 3. fol. 148. inceſſu maximum Deorum adventum notari; non ex dimotione pedum, neque tranſpoſitione exiſtentem, ſed ex impetu aërio, & vi expedita findentium magis auras, quam tranſeuntium. Διὸ δὴ καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν Θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνῦντες καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν. *Quamobrem* (ait) *ſtatuas quoque Deorum Aegyptij ponunt conjungentes illis pedes, & quaſi unientes.* Jidem Ægyptij Mercurium primum illorum legislatorem ſub Anubidis imagine divinis honoribus proſequuti ſunt; & apud eos Anubis rerum inventionis præſes habebatur, quia, teſte Servio ad lib. 8. Æneid. nihil Cane ſagacius. Colebatur etiam ut nuncius inter ſuperos, & inferos, ſi credendum eſt Apulejo lib. ult. Metam. *Hic horrendus ille ſuperûm commeator, & inferûm, nunc atrâ, nunc aureâ facie ſublimis attollens Canis cervices arduas Anubis.* Narrat Diodorus lib. 1. hunc Deum canina facie repræſentari apud Ægyptios indicantes Canem Oſiridi, & Iſidi corporis cuſtodem fuiſſe; vel illum Iſidi, quando Oſirim inveſtigabat, ducem, & ſocium inquiſitionis ſe præbuiſſe cum ululatu; ideoque in hujus Deæ feſtis Canes pompam antecedere. Quidam illum ſic pingi autumant, quòd ipſe Patrem Oſirim in expeditione bellica ſecutus Canem pro inſigni geſtaverit: alij verò, quod Oſiridis, & Iſidis Prætorianus fuerit miles. Significabatur per eum Genius Nili, ſive illius incrementum ſub ortu Caniculæ, ex qua tanta fœcunditas ſolebat Aegypto provenire: hinc duo Canes in imo hydriæ poſiti ſunt incrementum Nili promoventes, duo hemiſphæria, cuſtodiamque acceſſus, & receſſus Solis deſignantes, ut docet Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromat. his verbis. Εἰσὶ γοῦν οἱ μὲν κύνες, σύμβολα τῶν δυεῖν ἡμισφαιρείων, οἷον περιπολούντων καὶ φυλασσόντων. *Atque duo quidem Canes ſunt ſymbola duorum hemiſphæriorum, ut quæ circumeant, & cuſtodiant.* Et paullò poſt. Εἰσὶν δ᾽ οἳ τοὺς μὲν τροπικοὺς περὶ τῶν κυνῶν μηνύεσθαι βούλονται, οἳ δὴ διαφυλάσσουσι καὶ πυλωροῦσι τὴν ἐπὶ νότον καὶ ἄρκτον πάροδον

πάρεδρον τοῦ Ηλίου. *Sunt autem qui volunt quidem tropicos significari à Canibus, qui custodiunt, & instar janitorum observant accessum Solis ad Austrum, & Septentrionem.* Sacrum quoque Scribam, & Vatem, seu Prophetam Cane indicari testatur Horus lib. I. Hierogl. 37. Ιερογραμματέα δὲ πάλιν, ἢ προφήτην βουλόμενοι γράφειν, κύνα ζωγραφοῦσιν. Canis Isidi sacer erat, sive ob rationes hic allatas, sive quia, ut refert Plutarchus de Is. & Osir. stella Caniculæ, quæ propriè Isidis censetur, dicta est Kyson, sive Canis. Anubis habebatur etiam Genius tutelaris averruncus, eaque de causa scuticas virtutis averruncativæ symbola manibus tenet, quibus Typhonia vis maligna arceri, abundantia verò rerum omnium conservari credebatur. Ob superstitiosum illum animalium cultum vehementer invehitur in Aegyphos Sedulius Poëta Christianus lib. I. Car. his versibus.

Quis furor est? quæ tanta animos dementia ludit?
Ut Volucrem, turpemque Bovem, tortumque Draconem,
Semihominemque Canem supplex homo pronus adoret.

Quam insanam venerationem irridet, jisdemque exprobat Juvenalis Sat. 15.

Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam.

Etenim in Urbe Cynopoli à Canibus sic dicta Canes pro Dijs habebantur, ut exponit Strabo lib. 17. Εξῆς δ' ἐστὶν ὁ Κυνοπολίτης νομὸς. καὶ Κυνῶν πόλις, ἐν ᾗ ὁ Ανουβις τιμᾶται, καὶ τοῖς κυσὶ τιμὴ καὶ σίτισις τέτακταί τις ἱερά. *Sequitur Cynopolitana Præfectura, & Canum Urbs, in qua Anubis colitur; & honor, & sacer quidam cibus Canibus est constitutus.* Cane mortuo non solum supercilia eradebant Aegyptij, ut fieri solitum erat in Fele; sed etiam totum corpus, quod maximi luctus erat indicium; si fides Herodoto in Euterpe, & Lactantio lib. 3. de fal. sap. cap. 20. Nunc ad brevem Idealis hujus lectionis contextum deveniamus. Rerum omnium Opifex Deus, idest, juxta Hermetem, Mens prima, sive Intellectus supremus, Mens secunda, sive Mentis primæ fœcunditas, Spiritusque universi, quibus ille nominibus admirandum Sanctiss. Triadis mysterium primus advmbravit, per globum Aspidibus circumdatum, & alas designatur. Ille hic Deus est prima causarum causa, mediantibus tamen alijs causis agens, quales sunt Sol, & Luna ambo virtute ab illo trivno, & æterno participatâ ad rerum procreationem simul concurrentes. Etenim Lunares Genij sub Anubidis, & Felis imaginibus expressi humidæ naturæ præsides, licet Mundo elementari stabilitatem conferant, Typhoniamque vim malignam, hoc est, omne excessivum baculis coërceant, generationem tamen perficere nequeunt absque numinis Solaris omnia in al-

tum

tum trahentis calore fœcundativo, qui per accipitrem tutelatum, & in summo positum indicatur. Et quia rerum procreatio consistit in perfecta calidi, & humidi mediocritate, adest Harpocrates, qui idem est & Horus, sive temperies aëris ambientis omnia servans, atque alens: silentium digito præcipit, quia superna mysteria incomprehensibilia sunt, soloque silentio veneranda: scuticâ verò nocivam adversorum Geniorum, immodici nempè frigoris, æstusque intemperati vim propulsat. In imo stat Mundus Scaraboeo designatus benignos Solis, & Lunæ influxus in se recipiens, ex quibus fœcunditas, & rerum humano generi necessariarum abundantia emanat, vitaque omnibus largitur. Lunaris vis per Isidem tutelatam manu situlam gerentem demonstrata semina fovet humore, frugum maturitatem promovet, humidisque suis influxibus vim adustivam generationi contrariam corrigit. Hinc est, quod Cynocephalus vestimento reticulato indutus universi perfectionem in connexione rerum indicante Crocodilo insidet, hoc est, Lunaris Genius Typhoniam malignitatem conculcat. Genius Polyphormus, sive supremus calathoformi tiarâ Principatus Insigni decoratus gladios Imperij symbola manibus tenet. Ille defectuosos omnes excessus ad mediocritatem reducit: & quia, licet ipse semper sit in motu, quod per globum, & pennas ejus tiarâ impositas significatur, suâ tamen naturâ immobilis est, ideò stat indiscretis pedibus: quoniam verò divinarum idearum rationes occultæ sunt, vestitus repræsentatur. Adest Anubis vim Typhonis malignam, sive omne excessivum ubertati nocivum scuticis coërcens, Nilique, cujus ipse Genius est, incrementum sub ortu Caniculæ Canibus expressæ promovens, ex quo rerum omnium Aegypto necessariarum fœcunditas, & abundantia provenit, proindeque humanæ felicitatis complementum.

Exhibetur in hac tabula Sacerdos Ægyptius nudus, derasus, discalceatus, femoralibus virgatis ab umbelico ad genua solummodo coopertus, characterem Tauticum manu tenens. De antiquis Ægyptiorum Sacerdotibus, eorumque modo vivendi plura referunt Herodotus in Euterp. & Porphyrius lib. 4. de abstin. sed mirabilem quorumdam frugalitatem, ac penè incredibilem abstinentiam narrat Cælius Rhodiginus lib. 13. lect. antiq. cap. 25. *Aegyptiorum Sacerdotum mores præparci in victu, ac frugi prorsum bonæ, & contemplationi dedita mens in stuporem usque à Chæremone stoico narrantur: eos enim scribit negotijs omnibus, curisque rejectis semper in templo fuisse, & rerum naturas, causasque, ac rationes syderum esse contemplatos; mulieribus numquam se miscuisse; numquam cognatos, & propinquos, ne liberos quidem* 36

quidem vidisse ex eo tempore, quo cœpissent divino cultui deservire: carnibus item, & vino semper abstinuisse, immò verò etiam pane raro vesci solitos, ne onerarent stomachum; quod si quando comederent, tonsum pariter hyssopum sumebant, ut escam graviorem illius calore decoquerent: oleum tantum in holeribus noverant. Quid loquar, inquit, de volatilibus, quum ovum quoque pro carnibus vitaverint, & lac? quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore mutato. Cubile eisdem ex folijs palmarum, quas baias vocant; bidui, triduique inediam sustinebant. Animalibus eos se abstinuisse docet Porphyrius loco citato, quòd multa ex illis velut divina venerarentur, crederentque omnis animalis animam esse rationalem, quando à corpore fuerit separata, præsagam futuri, nobis divinantem, omniumque effectricem: sed aliam hujus abstinentiæ causam nobis suggerit Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. fol. 718. edit. Colon. dum scribit exhalationem, quæ ex carne, & vino ascendit, cum sit crassior, & turbidior, offundere animæ tenebras, quam opinionem confirmat etiam Androcydis sententiâ. Οἶνος γάρ, φησιν Ἀνδροκύδης, καὶ σαρκῶν ἐμφορήσεις, σῶμα μὲν ῥωμαλέον ἀπεργάζονται, ψυχὴν δὲ νωχελεστέραν. ἄθεος οὖν ἡ τοιαύτη τροφὴ πρὸς σύνεσιν ἀκριβῆ. διὸ καὶ Αἰγύπτιοι ἐν ταῖς κατ' αὐτοὺς ἁγνείαις ἐπιτρέπουσι τοῖς ἱερεῦσι σιτεῖσθαι σάρκας, ὀρνιθείοις τε ὡς κουφοτάτοις χρῶνται καὶ ἰχθύων οὐχ ἅπτονται, καὶ δι' ἄλλους μέν τινας μύθους, μάλιστα δὲ ὡς πλαδαρὰν τὴν σάρκα τῆς τοιᾶς δὲ κατασκευαζούσης βρώσεως. *Vinum, inquit Androcydes, & carnis ingurgitationes corpus quidem robustũ efficiunt, animã verò debiliorem: est ergò impium, & à religione alienum hoc nutrimentum ad perfectam intelligentiam: quocirca Aegyptij quoque in ijs, quæ eorum ritu fiunt, sanctificationibus non permittunt Sacerdotibus vesci carnibus, & aviculis utuntur quam levissimis, & pisces non tangunt, cùm propter quasdam alias fabulas, tum maximè, quod ejusmodi cibus carnem reddat humidam.* Homo ad Deum incorporeum, & intellectualem elevari cupiens, ait Porphyrius, non debet quærere nutrimentum carnium, quo saginatum corpus pinguescens menti impedimento esse possit; nam sicut spiritu magnetis ferrum naturâ gravissimum leve evadit, sublevatumque lapidi accurrit; ita homo carnium exhalationibus minimè gravatus Deo naturalius conjungitur, & inhæret, quam ferrum magneti. Vini quoque usus illis interdictus erat, ut & plerisque aliarum religionum Sacerdotibus: sic legitur in pagina sacra cap. 10. Levitic. quod Sacerdotes in tabernaculum intraturi prohibebantur vinum, & siceram bibere, ne corda eorum gravarentur ebrietate. *Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum*

naculum testimonij, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum; inter pollutum, & mundum: Doceatisque filios Israël omnia legitima mea, quæ locutus est Deus ad eos per manum Moysi. Omnes autem cibi, & potus ingurgitationes Sacerdotibus prohibet D. Hieronymus. *Venter*, ait, *& genitalia sibimet ipsis vicina sunt, ut ex vicinitate membrorum confœderatio intelligatur vitiorum: Sacerdoti itaque de altari vivere, non luxuriari permittitur.* Unde Apulejus sacris Isidis initiaturus dicit lib. 11. Metam. Sacerdotem sibi præcepisse, ut nullum animal ederet, & invinius esset. Fabis vesci eis illicitum erat, quod faba excitet flatus, qui provocant ad Venerem; unde illud Pythagoreum, *à fabis abstinete*. Porrum quoque, & cæpe illis vetita scribit Juvenalis Sat. 15.

Porrum, & cæpe nefas violare, & frangere morsu.
O sanctas genteis, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina, lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Capite deraso incedebant, ut docet Herodotus in Euterp. ac tertio quoque die totum corpus solebant eradere, ne quis pediculus Deos colentibus, aut alia sordes crearetur: hinc Isiacorum calvities, de qua Polidorus Virgilius lib. 4. cap. 8. *Commune initiatis omnibus insigne est, vertex rasus, præcipuum sacri, profanique capitis discrimen, quod admonet Sacerdotes, spretis omnibus humanis voluptatibus, oportere cælestia tantùm meditari.* Cui sententiæ assentitur Pierius lib. 32. inquiens: *Quod verò Sacerdotes Aegyptij quotidie rasitabant, neque ullum vestigium capillorum toto capite cerni patiebantur, hieroglyphicè significare volebant superflua omnia submovenda: cujusmodi significatum habetur XXI. Deuteronomij: ubi si mulierem quis ex hostico viderit, approbaveritque, ita ut eam uxorem ducere concupiscat; jubetur inter alia caput ejus detondere, unguesque præcidere: hoc est, ut Cyrillus interpretatur, si quid in profanis disciplinis deprehenderimus, quod approbemus, idque in usum nostrum transferre cupiamus, dandam operam, ut ex his, quæ superflua fuerint, amputentur.* Vestem tantùm lineam gestabant huic similem, quæ in hac imagine repræsentatur, virgatam ex lini herbis contextam, quam Jo. Petrus Bellorius opinatur appellari limum, commodam ad usum aquæ, λίμνη enim apud Græcos significat *stagnum*, λιμνώδης *verò humidus, & herbosus*. Communis illorum sententia fuit materiam humidam, sive aquam omnium rerum originem esse, teste Plutarcho in tractatu de Is. & Osir. quod Cælius Rhodiginus etiam exponit lib. 27. lect.

 antiq.

antiq. cap. 5. *Cùm aquarum infinitæ propemodum utilitates ſint, gratiſſimæque, qui ſacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum oſtendunt res omnes è liquoris poteſtate conſiſtere. Itaque cùm hydria ad templum caſtâ religione defertur, tunc in terram procumbentes manibus ad cælum ſublatis divinæ gratias agunt bonitati.* Refert D. Ambroſius in Levit. Sacerdotes Aegyptios circumciſionis notam habuiſſe. *Ægyptij, qui & geometriæ, & colligendis ſyderum curſibus operam impendunt ſuam, impium judicant Sacerdotem, qui nequaquam habeat circumciſionis inſigne: nam neque magici carminis ſapientiam, nec geometriam, nec aſtronomiam judicant vim ſuam obtinere, ſine circumciſionis ſignaculo. Et ideò, ut impetrandi vim operationi adhibeant ſuæ, purgationem quamdam vatum ſuorum circumciſionis arcano celebrandam exiſtimant.* Sacerdos hìc noſter Crucem anſatam manu gerit, qui Character Tauticus fœcundus, & ſalutaris habebatur apud Aegyptios, eratque præcipuum illorum amuletum. Per circulum intelligebant orbes cæleſtes, & maximè Solem ſtellarum omnium Principem; per Crucis verò quatuor lineas quatuor elementa, & ſic hoc myſterioſo Charactere denotabant virtutis Solaris diffuſionem in Mundum elementarem, ex qua omnium rerum oritur generatio. Antiqui Sapientes Magi planetarum qualitates in diverſis appropriatis Characteribus repræſentarunt, Veneremque uti generationis Deam hac Cruce anſatâ expreſſerunt; cujus virtute Genios cæleſtes allici, contrarios verò, & nocivos repelli credebant: unde non mirum eſt, ſi apparet illa in plurimis Aegyptiorum Idolis manibus eam geſtantibus. Hic Character indicabat etiam apud illos vitam venturam, ut referunt Socrates lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 17. & Sozomenus lib. 7. cap. 15. narrantes in templo Serapidis Alexandriæ deſtructi inventos eſſe Characteres Crucis figuras habentes lapidibus inſculptos, quos interpretantes futuram vitam ſignificare dicebant. Ruffinus quoque de illis lib. 2. cap. 29. eadem ſcribit his verbis. *Signum hoc noſtrum dominicæ Crucis inter illas, quas dicunt* ἱερατικὰς, *ideſt, ſacerdotales litteras, habere Aegyptij dicuntur, velut unum ex cæteris litterarum, quæ apud illos ſunt, elementis. Cujus litteræ, ſeu vocabuli hanc eſſe aſſerunt interpretationem: Vita ventura. Dicebant ergo hi, qui tunc admiratione rerum geſtarum convertebantur ad fidem, ita ſibi ab antiquis traditum; quòd hæc, quæ nunc coluntur, tamdiu ſtarent, quamdiu viderent ſignum iſtud veniſſe, in quo eſſet vita.*

37 Feſtus ait Camillum vocari nunc ſacrorum miniſtrum, nunc puerum ingenuum, nunc vas nuptiale. Flaminius Camillus propriè dicebatur puer ingenuus patrimus, & matrimus, qui Flamini Diali ad ſacrifi-

ſacrificia miniſtrabat; antiquitus enim ſacrorum miniſtri Camilli vocabantur; ſic Virgilius ait Metabum filiam nominaſſe Camillam, Dianę ſcilicet præminiſtram. Pueri quoque, puellæve nobiles apud Romanos Camilli, & Camillæ dicebantur, ſi fides Macrobio lib. 3. Saturn. cap. 8. Significabat etiam Camillus Deorum præminiſtrum, ut refert Plutarchus in Numa, unde Mercurius ab Etruſcis hoc nomine appellabatur. Variæ Camillorum imagines in antiquis marmoribus repeiuntur: unam hic exhibemus æream dextrâ pateram tenentem, lævâ cornucopiæ frugibus, & fructibus refertum. Priſci Romani ſolebant Dijs primitias offerre, teſte Plinio lib. 18. cap. 20. cujus moris inventor Bacchus perhibetur, qui Jovi, & Junoni muſtum libavit. Hunc ritum expreſsè præcipit agricolis Virgilius lib. 1. Georg.

In primis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.

Sic Tibullus lib. 1. el. 1.

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deos.
Flava Ceres, tibi ſit de noſtro rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Idem el. 5.

Illa Deo ſciet agricolæ pro vitibus uvam
Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem.

Fruges autem, vel fructus aliunde raptos Dijs offerre nefas erat, ſed primitiæ debebant eſſe de proprio rure. Coronas in ſacris adhibitas fuiſſe docet Plinius.

Laurentius Pignorius in libro, quem de ſervis edidit, multa dif- 38
fusè, & eruditè de Miniſtris tricliniorum, & de Pocillatoribus ſcripſit.
Erant illi juvenes loti, calamiſtrati, candidis præcincti tunicis, con- 39
vivis pocula miniſtrantes, lancesque menſis apponentes, de quibus Horatius Sat. 8. lib. 2.

. . . . *Ut omnes*
Præcincti rectè pueri, comptique miniſtrent.

Apulejus lib. 2. Metam. cænam à Fotide ſua dilecta ſibi paratam deſcribens pueros calamiſtratos, puellasque ſcitulas miniſtrantes recenſet. *Sic paratus*, inquit, *cœnæ me committo; frequens ibi numerus epulonum, & utpote apud primatem fœminam flos civitatis. Et opipari cibi, & ebore nitentes lecti, aureis veſtibus intexti, ampli calices variæ quidem gratiæ, ſed pretioſitatis unius. Hinc vitrum fabrè ſigillatum; ibi cryſtallum impunctum; argentum alibi clarum, & aurum fulgurans, & ſuccinum mirè cavatum in lapides, ut bibas, & quid-*

quid fieri non potest, ibi est. Diribitores plusculi, splendidè amicti: fercula copiosa: puellæ scitulæ ministrantes; pueri calamistrati, pulchrè indusiati, gemmas formatas in pocula vini vetusti frequenter offerentes. De varijs hujusmodi servorum officijs audiendus est Philo acuratè illa describens in tractatu de Vita contempl. *Triclinia lectos habent eburneos, aut testudineos, aut pretiosioris materiæ, gemmatos plerosque, stratos auro, intertextâ purpurâ, vel alijs floridis coloribus varijs oculos allicientibus; poculorum etiam vim magnam digestorum per suas species: præstò sunt enim scyphi, calices, phialæ, thericlea, toreumataque clarorum artificum, ministrantibus formosis mancipijs, non tam ad præsens ministerium quæsitis, quàm ad exhilarandos aspectu convivis oculos. Ex his minores pueri Pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, loti, & nitidi, fucatique, ac cincinnatuli; alunt enim capillitium, vel omnino intonsi, vel à fronte tantùm præfectis in orbem crinibus, tenuissimas, candidasque præcincti tunicas, anteriore parte ad genua demissas, posteriores ad poplites, utrimque mollibus tenijs adstricti commissuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus. Sic ornati adstant nutus observando, quid quisque postulat; adsunt & alij adolescentes primâ lanugine malas vestiti, qui paulò ante amatorum suorum deliciæ fuerant, curiosè docti gravioris momenti ministeria: mera ostentatio magnæ opulentiæ.* Poculis diversimodè effigiatis veteres delectabantur, sed vitreis maximè instar inguinum ad excitandam libidinem, teste Juvenale Sat. 2. *Vitreo bibit ille Priapo.* Quod Plinius hisce verbis confirmat lib. 14. cap. 22. *Jam verò, quæ vasa adulterijs cælata? tamquam per se parum doceat libidines temulentia: ita vina ex libidine hauriuntur, atque etiam præmio invitatur ebrietas.* Et in proemio lib. 33. *Didicit homo naturam provocare. Auxere & artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines cælare juvit, ac per obscœnitates bibere.* Voluptas hominibus, non dicam, Romanis, sed & barbaris, servisque effœminatissimis indigna, cui deinde magnæ opulentiæ successit ostentatio. *Abiecta deinde sunt hæc,* inquit Plinius loco citato, *& sordere cœpere, & auri, argentique nimium fuit. Murrina, & cryst allina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere quod posset statim totum perire. Nec hoc fuit satis, turbâ gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ causâ tenere Indiam juvat, & aurum jam accessio est.* Duo Pocillatores hic exhibentur loti, cincinnati, ac tunicis præcincti planè, ut à Philone describuntur; prior speciem quamdam lancis tenet; alter & lancem, sive pateram, & poculum ad instar cornu, cujus

cujus extremitas in similitudinem animalis effícta est: hoc vasis genus ceras vocabatur, in convivijs ea de causa forte usitatum, quod prisci ante poculorum inventionem cornibus Boûm ad bibendum utebantur. Auctor est Cælius Rhodiginus lib. 27. cap. 27. & lib. 30. cap. 1. Liberum patrem post vinum inventum cornu Bovis ad bibendum usum fuisse testatur Nonnus Dionys. 12.

Καὶ δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας.

Et poculum curvum habuit Bovis cornu.

Unde non mirum est Pocillatorem simile poculum manu gestare in memoriam Bacchi, qui Deus apud veteres epulis, & comessationibus præesse credebatur.

Atys hic repræsentatur cum pileo phrygio dextrâ gerens fistulam 40
multis contextam calamis Syringa dictam, lævâ pedum baculum videlicet incurvum, quo pastores solebant pecorum pedes detinere. Atym fuisse pastorem ex Pessinunte Phrygiæ emporio, ubi templum erat miræ venerationis magnæ Deûm Matri dicatum scribit Tertullianus in Apolog. cap. 15. *Vidimus aliquando castratum Atyn illum Deum ex Pessinunte.* Primus ille sacrorum ritus, quibus Cybele colebatur, mortales docuit, cùmque promissam huic Deæ castitatem commisso cum Sangaritide stupro non servasset, irata Dea de Nympha pœnas exegit, Atys verò furore correptus lapideo cultro seipsum castravit. Juvenalis Sat. 6:

Mollia qui ruptâ secuit genitalia testâ.

De Aty scripsere Catullus epigr. 64. Arnobius lib. 5. adv. Gent. & Lactantius lib. 1. cap. 17. *Deûm Mater*, inquit, *& amavit formosissimum adolescentem, & eumdem cum pellice deprehensum exsectis virilibus semivirum reddidit.* Sic etiam Ovidius lib. 4. Fastor.

Phryx puer in sylvis facie spectabilis altis
Turrigeram casto vinxit amore Deam.
Hunc sibi servare voluit, sua templa tueri:
Et dixit, semper fac puer esse velis.
Ille fidem jussis dedit; &, si mentiar, inquit,
Ultima, quam fallam, sit Venus illa mihi.
Fallit: & in Nympha Sangaritide desinit esse;
Quod fuit: huic pœnas exigit ira Deæ.
Najada vulneribus succidit in arbore factis:
Illa perit; fatum Najados arbor erat.
Hic furit: & credens thalami procumbere tectum,
Effugit, & cursu Dindyma summa petit.
Et modò tolle faces; remove, modò, verbera, clamat;

Sæpe

Sæpe Palæstinas jurat adesse Deas.
Ille etiam saxo corpus laniavit acuto,
Longaque in immundo pulvere tracta coma est.
Voxque fuit, merui: meritas dem sanguine pœnas;
Ah pereant partes, quæ nocuere mihi!
Ah pereant! dicebat adhuc; onus inguinis aufert;
Nullaque sunt subitò signa relicta viri.

Ipsum designare flores cadentes, antequam ad fructum veniant, tradit Eusebius lib. 3. Præp. ev. cap. 3. ideòque pudenda ei fuisse incisa dici, quoniam flores defluxi semina non producunt. At D. Augustinus lib. 7. de Civit. Dei cap. 25. non Atyn, sed ejus virilia flores indicare docet his verbis. *Propter vernalem quippe faciem terræ, quæ cæteris temporibus est pulchrior, Porphyrius philosophus nobilis Atyn flores significare perhibuit: & ideo abscisum, quia flos decidit ante fructum. Non ergo ipsum hominem, vel quasi hominem, qui vocatus est Atys, sed virilia ejus flori comparaverunt: ipsa quippe illo vivente deciderunt: imò verò non deciderunt, neque decerpta, sed plano discerpta sunt: nec illo flore amisso quisquam postea fructus, sed potiùs sterilitas consecuta est.* Pingitur autem cum sinu vestis aperto ad denotandam geminam ejus naturam, de qua ipsummet loquentem audias apud Catullum Epigr. 64.

Quod enim genus figuræ est, ego quod non habuerim?
Ego mulier, ego adulescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasij fui flos, ego eram decus olei;
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi Sole cubiculum.
Egóne Deûm ministra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis Algida Idæ nive amicta loca colam?
Ubi Cerva silviculatrix, ubi Aper nemorivagus?
Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus?
Jamjam dolet, quod egi, jamjam pœnitet.

Ovidius in Ibin.

Attonitusque seces, ut quos Cybeleja mater
Incitat ad Phrygios vilia membra modos.
Deque viro fias, nec fœmina, nec vir, ut Attys,
Et quatias molli tympana rauca manu.

41 Quatuor anni tempora in antiquis numismatibus quatuor puerulis indicantur. Primus canistrum habet impositum capiti floribus refertum,

ſertum, ver deſignans. Secundus alterâ manu ſpicas tenet, alterâ falcem falcandis frugibus idoneam, propria æſtatis ſymbola. Tertius Leporem dextrâ, lævâ fructus, venationis opportunitatem, fructuumque abundantiam autumnali tempore innuens. Quartus denique avem forſan Anatem lævâ gerens veſtitus eſt, quo hyemalis tempeſtas frigidiſſima vulgò denotatur. Nummulum Probi æreum cum hoc typo, & epigrap. FELICIA TEMPORA, in muſeo noſtro aſſervatur: ſimilem protulit Franciſcus Angelonius in Commodo cum inſcrrptione, TEMPORVM FELICITAS; unde hac noſtrâ imagunculâ juvenem nudum, & alatum, Leporem dextrâ tenentem exhibente autumnalis tempeſtas videtur deſignari. Negotium tamen mihi faceſſit Scriptorum quorumdam auctoritas, qui Leporum venationi hyemale tempus opportunum tradunt. Virgil. lib. 1. Georgic.

Auritosque ſequi Lepores, tum figere Damas, &c.
Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.

Quam ſententiam tuetur & ipſe Horatius Sat. 2. lib. 1.

. . . . *Leporem venator ut altâ*
In neve ſectatur.

Unde hoc animal niveum dicitur à Calpurnio Eclog. 10.

Ordine quid referam; vidi genus omne ferarum,
Hìc niveos Lepores, & non ſine cornibus Apros.

Attamen cum in omnibus & nummis, & toreumatibus antiquis hyemalis tempeſtas veſtita ſemper conſpiciatur, autumnalem hac nudâ imagine repræſentari eò magis adducor, quòd eadem Leporem tenens in nummis exhibeatur; & nix ad Leporum venationem eâ ſolâ forſan ratione videatur requiri, quòd ſignis pedum nivibus impreſſis animalium greſſus venatori faciliùs indicantur.

Ibis eſt avis Ciconiæ non multum diſſimilis, roſtro maxima ex 42
parte adunco, cruribus rigidis, ſoli Aegypto peculiaris, eidemque ſacra, quod Serpentibus alatis ex Arabia in Aegyptum ineunte vere volantibus ad ingreſſum planitiei occurrat, eosque interimat, & devoret; ut referunt Herodotus in Euterpe, & Pomponius Mela lib. 3. unde illam vocat Juvenalis Sat. 15. *ſaturam Serpentibus*. De Ibide mentionem facit Cicero lib. 2. de nat. Deor. *Ipſi, qui irridentur, Aegyptij nullam belluam niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conſecraverunt, veluti Ibin. Ibes maximam vim Serpentum conficiunt, cùm ſint aves excelſæ, rigidis cruribus, corneo, proceroque roſtro: avertunt peſtem ab Aegypto, cùm volucres Angues ex vaſtitate Libyæ vento Africano invectas interficiunt, atque conſumunt; ex quo*

fit, ut

sit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ. Scribit Ælianus Ibin numquam extra Ægyptum progredi; si quis verò eam ex Ægypto exportet, mortem fame sibi consciscere: eamdem etiam Lunæ sacram esse tradit, ovaque ad ejus rationem fingere totidem videlicet diebus, quot illa crescit, & decrescit. Perhibetur hæc avis usum clysteris monstrasse, teste Plinio lib. 8. cap. 27. *rostri aduncitate per eam partem se perluens, quâ reddi ciborum onera maximè salubre est.* Duas ejus species referunt Aristoteles lib. 9. Hist. anim. cap. 27. Strabo lib. 17. & Plin. lib. 10. cap. 30. albam, & nigram: sola nigra, si fides Herodoto in Euterp. cum Serpentibus pugnat. Illius interfectores apud Ægyptios morte afficiebantur, ut narrat Tertullianus in Apolog.




DEA ROMA
1
Apud
Authorem



2
BACCHVS
Apud Io. Petrum Bellorium
In Orbe æreo.


SATYRA Siue FAVNA.
3
Apud Authorem
In statua ex ære.


BACCHVS
4
Apud E. P. Burghesium
P.S.B. Sculp.


CYBELE
5
Apud Antonium
de Caualerijs


CERES
6
Apud Ant. de Caualerÿs


NEPTVNVS
7
Apud Antonium de Caualerijs


MERCVRIVS
8
P. S. B. Sculp.
Apud I. P. Bellorium

MINERVA




In Thesauro Christinæ Reginæ

P. S. B. sculp.


MINERVA
10
Apud Ant. de Cavalerijs


DIANA EPHESIA
11
P·S·B·Sculp·
Ex ſchedis


DIANA LVCIFERA
12
Apud I.P. Bellorium
P.S.B. Sculp


DIANA TRIFORMIS
13
P. S. B. Sculp.
Apud E. Card. Chigium


DIANA TRIFORMIS
14
P.S.B. Sculp.
Apud E. Card. Chigium



DIANA TRIFORMIS
25
Apud E. Card. Chigium
P. S. B. Sculp.

MYTHRAS



Apud P. A. Rolandum M.

P. S. B. sculp.


ÆSCV LAPIVS
17
P.S.B. Sculp.
Apud I. P. Bellorium


SALVS
18
P. S. B. Sculp.
Apud E. Card. Chigium


VVLCANVS
19
Apud I. P. Bellorium
P. S. B. Sculp.


FOR TVNA
20
P. S. B. Sculp.
Apud I. P. Bellorium



FORTVNA
21
Apud I.P. Bellorium
P.S.B. Sculp.


FOR TVNA
22
P. S. B. Sculp.
Apud I. P. Bellorium


ABVNDANTIA
23
S. S. B. Sculp.
Apud E. P. Burghesium


SIGNVM PANTHEVM 24
P. S. B. Sculp.
Apud I. P. Bellorium


SIGNVM PANTHEVM
25
Apud D. Devvith
P. S. B. Sculp.


HARPO CRATES
25
Apud I. P. Bellorium


HARPOCRATES




Apud Authorem


P·S·B· Sculp.


ANGERONA 28




In Museo Authoris


VICTORIA
29
Apud
P.S.B. Sculp.
Authorem


HERCVLES
30
Apud Authorem
P.S.B. Sculps.


HERCVLES
31
Apud Authorem


CANOPVS
32
P.S.B. Sculp.
Apud E. Card. Chigium

CANOPVS



Apud E. Card Chigium


P. S. B. Sculp.

CANOPVS



Apud E. Card. Chigium

CANOPVS 35



Apud E. Card. Chigium.

SACERDOS ÆGYPTIVS 36



P.S.B. Sculp.


Apud P.A. Rolandum M.



CAMILLVS
37
P. S. B. Sculp.
Apud P. A. Rolandum M.



POCIL LATOR
38
Apud I. P. Bellorium
P. S. B. Sculp.


POCILLATOR
39
Apud P. S.
P. S. B. Sculp.
Bartolum.


ATYS
40
Apud I.P.
P.S.B. Sculp.
Bellorium


AVTVMNVS
41
Apud
Authorem
P. S. B. sculp.


IBIS
42
P. S. B. Sculp.
Apud P. A. Rolandum M.



ROMANUM MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO TERTIA.

Insignia Flaminis Dialis, Pontif. Max. & Auguris, necnon Instrumenta sacrificijs apta.

TABULA I.



1. FLAMINES quasi Filamines à filo, quo caput revinciebant, dictos putat Varro lib. 4. de lingua Latina cap. 15. *Flamines, quòd in Latio capite velati erant semper, ac caput habebant cinctum Filo, Flamines dicti.* Nudis enim capitibus incedere illis nefas erat, sed per æstatem galerum propter nimium calorem minimè gestantes, caput filo cingebant: festis verò diebus filo deposito pileum sumebant pro sacerdotij eminentia, si fides Isidoro lib. 7. Orig. cap. 11.

Erat autem Flamen Sacerdotis nomen alicui Deo particulariter consecrati, cui sacra faciens ab eo nomen obtinebat, Dialis videlicet vocabatur, qui Jovis curabat sacra, ut & Martialis, & Quirinalis, qui Martis, & Quirini. Horum duos priores à Romulo institutos, ultimum verò à Numa scribit Plutarchus in Numa, cui assentitur Pomponius Lætus lib. de Sacerdot. cap. 7. licet omnes à Numa creatos Livius asserat lib. 1. cap. 19. Successu temporis ad XV. numerum aucti sunt singuli singulis Dijs, Cæsaribusque consecratis attributi, quorum maximus Dialis habebatur teste Festo, solusque albogalero, insigni veste, curulique sellâ uti poterat. Fuit autem illa differentia inter Flamines, quæ nunc in Ecclesia Dei inter Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ut refert Gratianus Decret. par. 1. dist. 80. ex auctoritate D. Clementis Romani Epist. 1. ad Jacob. fratrem Domini, cujus Pontificis verba hæc sunt. *In illis verò Civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni, vel Patriarchas (* B. Petrus*) ordinavit, qui reliquorum Episcoporum judicia, & majora (quoties necesse foret) negotia in fide agitarent, &c. In illis autem Civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines (quos tamen minores tenebant, quàm memoratos Primates) Archiepiscopos institui præcepit, qui non tamen Primatum, sed & Archiepiscoporum fruerentur nomine, &c. In singulis verò reliquis Civitatibus singulos, & non binos, vel ternos, aut plures Episcopos constitui præcepit, qui non Primatum, aut Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum nomine (quia matres civitatum non habent) sed Episcoporum tantùm vocabulo potirentur, quoniam nec inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit.*

2. Apex Pontificis Maximi ornamentum, & insigne sæpius occurrit in nummis Julij Cæsaris, Marci Antonij, & Augusti, ad indicandum eorum Pontificatum Maximum. Pontifices à Numa institutos scribit Livius lib. 1. cap. 20. Fuerunt ab initio quatuor; deinde quatuor alij ex plebe creati sunt M. Valerio, & Q. Apulejo Coss. Illis omnibus Pontifex Maximus præerat, cui sacra omnia publica, privataque subjecta erant, & quo defuncto alius à Pontificibus eligebatur. Appellatos fuisse Pontifices & à ponte, & à facio quidam putant, eò quòd pons sublicius ab his primùm factus, ac sæpius deinde restitutus fuerit: alij verò eosdem à posse, & facere sic dictos asserunt.

TABU-

TABULA II.

1. LItuus baculus incurvus; & leniter à summo inflexus, quem Augures dextrâ tenebant: describitur ab A. Gellio lib. 5. cap. 8. *Lituus virga brevis in parte, quâ robustior est, incurva.* Primus Litui usus Romulo Urbis conditori tribuitur, quem Cicero lib. 1. de Div. scribit eo regiones direxisse, cùm Urbem conderet. Hunc in Capitolio servari solitum fuisse narrat Plutarchus in Vita Romuli, sed captâ à Gallis Urbe perditum, mox ejectis illis inter altissimas favillas illæsum, cùm ignis cætera consumpsisset, inventum fuisse. Lituus ad Augures pertinebat; qui teste Isidoro lib. 8. Orig. cap. 9. volatus avium, & voces intendebant, & sic augurium erat naturalis quædam avium præsensio pluvias, & tempestates, aliaque hominibus imminentia volatu, & garritu indicantium. De inaugurandi ritu hæc refert Pomponius Lætus de Sacerd. cap. 5. *Locus augurij templum erat: Augur versus Orientem sedebat, capite velato, lituum dextrâ tenens manu, idest, curvum baculum, quo in Cælo regiones dividit, & quæ auguria veniunt, prædicit; si læva fuerint, quia à læva parte Septentrio est, felicia pronuntiat, pars illa Orbis propter altitudinem prospera putatur: & à dextera parte Meridies, quia depressus est, infelix.* Plura vide apud Livium lib. 1. cap. 18. & Fenestellam lib. de Sacerd. cap. 4. Hæc disciplina primùm viguit apud Phryges, & Chaldæos, ab eis transijt ad Græcos, deinde ad Etruscos, ab Etruscis ad Romanos commigravit. Augures apud illos mox tres fuêre, mox quatuor, mox novem quinque videlicet plebei, & quatuor patricij. Scribit D. Augustinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 30. Ciceronem Augurem reprehendisse homines Corui, & Corniculæ vocibus vitæ consilia moderantes; quod ipsemet Cicero testatur lib. 2. de Div. auguria vanitatis, & ineptiæ condemnans. Audiamus etiam D. Cyprianum superstitionem auguriorum irridentem in opusc. de Idolor. vanitate. *Non ergo (*inquit*) de Religionibus sanctis, nec de auspicijs, aut augurijs Romana regna creverunt, sed acceptum tempus certo fine custodiunt. Cæterùm & Regulus auspicia servavit, & captus est: & Mancinus religionem tenuit, & sub jugum missus est: & pullos edaces Paullus habuit, & apud Cannas tamen cæsus est: C. Cæsar, ne ante brumam in Africam navigia transmitteret, augurijs, & auspicijs renitentibus sprevit, & eò faciliùs navigavit, & vicit. Horum autem omnium ratio est illa, quæ fallit, & decipit, & præstigijs cæcantibus veritatem stultum, & prodigum vulgus inducit.*

2. 3. Simpulum, quod & Simpuvium dicitur, Pontificum collegij symbolum erat: describitur à Festo *Vas parvum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificijs libabatur, unde & mulieres rebus divinis deditæ Simpulatrices dictæ*. Duas hujus calicis species exhibemus, unam ex antiquo marmore in æde Divi Laurentij extra muros desumptam, alteram in museo Jo. Petri Bellorij asservatam.

TABULA III.

PRÆFERICULUM vas erat in sacrificijs præferri solitum, in quo vinum, aliusve liquor includebatur. Hoc vas sæpe occurrit in nummis Imperatorum, Cæsarumque in eorum summi Pontificatus memoriam signatum. Festus ait præfericulum esse vas æneum sine ansa, quod veteres in sacrificijs solebant præferre: at hæc descriptio minimè concordat cum antiquis numismatibus, & toreumatibus, quæ ansatum illud repræsentant, ut videre est in hac imagine ex pulcherrimo zophoro ad radices Capitolij delineata.

TABULA IV.

IN sacris ferè omnibus veterum tres adhibebantur purgationes; nam vel flammâ, vel sulphure purgabantur, vel aquâ abluebantur. Ovidius lib. 7. Metam.

Terque senem flammâ, ter aquâ, ter sulphure purgat.

Hæc aqua lustralis dicta in circumstantes ad expianda leviora crimina spargebatur, sicuti etiamnum mos est apud Christianos, qui ad purgandas leviores animæ sordes aquâ benedictâ frequenter in sacris utuntur. Illa ferebatur in vasculo huic simili, quod extat in museo Jo. Petri Bellorij, & quale observatur in Tabula VII. Columnæ Trajanæ notis ejusdem illustratæ pulcherrimum exhibente sacrificium, ubi sacrorum quidam Minister vas aquæ lustralis dextrâ tenet.

TABULA V.

1. SEQUITUR Aspergillum, sive Aspersorium ex equinæ caudæ pilis confectum, quo Sacerdotes aquam lustralem aspergebant. Ovidius lib. 3. de Ponto.

Spargit aquâ captos lustrali grata Sacerdos.

Antiquitus vice Aspersorij utebantur veteres ramo lauri, vel oleæ, ut scribit Virgilius de Ænea in funere Miseni lib. 6. Æneid.

Idem

Idem ter socios purâ circumtulit undâ
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Lustravitque viros.

2. Malleo Ministri sacrificijs inservientes victimam percutiebat. Ovidius lib. 2. Metam.

Lactantis vituli dextra libratus ab aure
Tempora discussit claro cava malleus ictu.

3. 4. Cultris minores hostiæ mactabantur. Idem Ovidius lib. 15. Metam. de Victima.

. . . . . . *Percussaque sanguine cultros*
Inficit.

Victimarij cultros vaginâ inclusos lateri alligabant, jisque ad secandas hostias utebantur. Contenta in hac tabula desumpta sunt ex arcu Septimij Severi,& Antonini Caracallæ prope S.Georgium in Velabro.

TABULA VI.

ANIMALIA sacrificijs destinata securi percutiebantur. Horatius lib. 3. Car. Od. 23.

Aut crescit Albanis in herbis
Victima, Pontificum secures
Cervice tinget.

Et Ovidius lib. 4. Trist. el. 2.

Candidaque adductâ collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tingit humum.

Securem hanc Baccho dicatam esse patet ex capite Tigridis huic Deo sacræ, siquidem primus ille animal ferocissimum domavit, curruique alligavit. Tibullus lib. 3. el. 6. de Baccho.

Armenias Tigres, & fulvas ille Leænas
Vicit & indomitis mollia corda dedit:

Et Martialis lib. 8. ep. 25.

Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,
Contentus geminâ Tigride Bacchus erat.

TABULA VII.

1. HUNC gladium sacrificijs aptum Secespitam esse constat, tum quia similes observantur in diversis antiquis toreumatibus sacrificia exhibentibus, tum propter Antistij Labeonis descriptionem apud Festum Secespitam referentis fuisse *Cultrum oblongum,*

manubrio

manubrio rotundo, eburneo, solido, vincto ad capulum auro, argentoque, fixum clavis æneis, ære cyprio, quo Flamines, Flaminicæ Virgines, Pontificesque ad sacrificia utebantur. Hæc omnia gladio nostro conveniunt, etsi manubrium illi deest eburneum, quo ferreum tegebatur, patet illud fuisse rotundum, remanentque foramina clavorum, qui ebur connectebant.

2. Cochlear, quo thus ex acerra sumebatur.
3. Ligula, quâ Aruspices animalium viscera explorabant.

TABULA VIII.

SCRIBIT Festus acerram fuisse arculam thurariam, ubi thus reponebatur: hanc Camillus ferebat, ut videre liquet in plurimis antiquis marmoribus. De illa mentionem facit Martianus Capella lib. 2. de Nupt. *Acerrâ autem multo aromate gravidatâ, eâdemque candenti manus virginis oneratur.* (Et deinde) *Ac Vestæ Deûm nutrici, eidemque pedissequæ acerrâ illâ olacem aromatis refundente, omnis ille ordo Cœlicolum portiones sibi competentes attribuens, arabicis lætabatur halatibus.* Acerræ meminit etiam Ovidius lib. 4. Fastor.

Cumque meri patera thuris acerra fuit.

TABULA IX.

NULLA thuribuli neque in marmoribus, neque in nummis antiquis reperitur imago: constat tamen ex auctoritate Clementis Alexandrini thuribulum Aaronicum explicantis lib. 5. Stromat. fol. 562. thuribula in Templo Domini posita fuisse. Ἀνὰ μέσον δὲ τοῦ καλύμματος καὶ τοῦ παραπετάσματος, ἔνθα τοῖς ἱερεῦσιν ἐξῆν εἰσιέναι, θυμιατήριόν τι ἔκειτο, σύμβολον τῆς ἐν μέσῳ τῷ κόσμῳ τῷδε κειμένης γῆς. ἐξ ἧς αἱ ἀναθυμιάσεις. *In medio autem operimenti, & veli, quo licebat ingredi Sacerdotibus, erat situm thuribulum symbolum terræ, quæ est sita in hoc mundo medio, ex qua oriuntur exhalationes.* De thuribulis, quę posuit Salomon in domo Dei, mentio reperitur in sacro texto lib. 2. Paralipom. cap. 4. In sacrificijs quoque illa adhibita fuisse canit Ausonius in Technopag.

Thuribula, & pateræ, quæ tertia vasa Deûm? lanx.

TABULÆ X. XI. XII.

TRIPODUM nomine intelliguntur omnia illa instrumenta, quæ tribus insistunt pedibus: propriè tamen Tripodes erant

mensæ

mensæ in Templo Apollinis Delphici, quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur; hinc Apollini Tripodes cum Serpentibus dicati, de quibus Herodotus in Calliop. Συμφορήσαντες δὲ τὰ χρήματα, καὶ δεκάτην ἐξελόντες τῷ ἐν Δελφοῖσι θεῷ, ἀπ' ἧς ὁ τρίπους ὁ χρύσεος ἀνετέθη, ὁ ἐπὶ τοῦ τρικαρήνου ὄφεος τοῦ χαλκέου ἐπεστεὼς ἄγχιστα τοῦ βωμοῦ. *Collata autem pecunia decimam selegerunt, ex qua tunc Deo, qui Delphis est, Tripos aureus ibi repositus est, insistens super tricipiti ex ære Colubro proximè aram.* Tripodem cum intorto Serpente describit Pausanias in Phoc. planè, ut hic (10) exhibetur ex antiquo toreumate delineatus. Ἐν κοινῷ δὲ ἔθεσαν ἀπὸ ἔργου τοῦ Πλαταιᾶσιν οἱ Ἕλληνες χρυσοῦν τρίποδα δράκοντι ἐπικείμενον χαλκῷ. *Commune fuit Græcorum de Platæensi prælio donum, aureus Tripos sustinente æneo Dracone.* Quidam Tripodes domi tenebantur, super quos vel accenso igne, vel fructibus, floribusque impositis sacra Laribus peragebantur, qualis est iste (11) apud Joannem Petrum Bellorium. Juvenalis Sat. 12.

> . . . . *Laribusque paternis*
> *Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.*

In museo Eminentiss. Cardinalis Chisij asservatur Tripos (12) flexilis, & plicatilis, in cujus summitate sculpta sunt tria capita Bacchantium uvis coronatarum, Baccho procul dubio consecratus; Tripodem enim Libero patri dicatum scribit Athenæus lib. 2. Deipnosoph. Καὶ τὸ νικητήριον ἐν Διονύσου τρίπους. καὶ γὰρ ἐκ τρίποδος λέγειν φαμὲν τοὺς ἀληθεύοντας. *In Bacchi certaminibus Victoris præmium est Tripos; nam qui vera fantur, e Tripode loqui dicimus.* Duo Tripodum genera recenset, quæ ambo veteres λέβητας nominarunt; unum, quod ἐμπυριβήτης ὁ καὶ λοετροχόος dicebatur, quo ad aquam calefaciendam utebantur; alterum, quod vocabatur κρατὴρ ἄπυρος, in quo vinum miscebatur: at in vino inesse veritatem nemo est, qui ambigat, & sic Apollini, & Baccho consecrati fuere Tripodes, illi ob oraculorum suorum certitudinem, huic verò quia non mentiuntur ebrij. Καὶ οὗτος ἐστὶν ὁ τῆς ἀληθείας οἰκεῖος τρίπους. διὸ Ἀπόλλωνος μὲν οἰκεῖος διὰ τὴν ἐκ μαντικῆς ἀλήθειαν. Διονύσου δὲ διὰ τὴν ἐν μέθῃ. Auctor est Athenæus loco citato.

T A B U L A XIII.

CANDELABRIS utebantur veteres, cùm rem divinam faciebant: in illis figebantur candelæ, & funiculi ardentes, vel etiam lucernæ oleariæ ponebantur minùs tamen ad lumen exhibendum, quàm ad sacrificij decus, & majestatem. De candelis mentionem facit Martialis lib. 14. ep. 41. illas lucernis vetustiores declarans.

Nomina

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt:
Non norat parcos uncta lucerna patres.

De lucernis verò sacra pagina lib. 2. Paralipom. cap. 4. versic. 20. describens ea omnia, quæ posuit Salomon in domo Dei. *Candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum ex auro purissimo.* Hoc pulcherrimum candelabrum delineari curavimus in æde D. Laurentij extra muros.

TABULA XIV.

DISCUS erat species quædam lancis, in quo victimarum exta ponebantur. De illo hæc scribit Isidorus lib. 20. Orig. cap. 4. *Discus antea iscus vocabatur à specie scuti; unde & scutella per diminutionem, est enim ejusdem similis: postea discus vocatus est, quod det escas, idest, apponat.*

TABULA XV.

SISTRUM instrumentum Ægyptiacum, quo Sacerdotes in sacris Isidis utebantur ἀπὸ τοῦ σείειν; idest, *à quatiendo*, dictum: est autem formæ ovalis, & manubriatum cum tribus, vel quatuor virgulis transversalibus; describitur ab Apulejo lib. 11. Metam. *Æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam trajectæ mediæ paucæ virgulæ crispante brachio tergeminos jactus reddebant argutum sonum.* Sistrum in sacrificijs concutiebatur ad indicandum omnia naturalia numquam motu vacare: rotunditas, quæ illud cingit, convenit cælo Lunæ, per quod omnia moventur, & mutantur ratione quatuor elementorum, quæ per quatuor Sistri virgas denotantur: quaternarius enim numerus pertinere videtur ad corpus constans ex quatuor elementis, & quatuor qualitatibus, sicca, humida, calida, & frigida: ternarius verò ad triplicem animæ vim, de quo infrà. In Sistri vertice visitur animal quoddam aliquando facie humana præditum, quod Felem esse docet Plutarchus in lib. de Is. & Os. Τῇ δὲ ἀψῖδι τοῦ σείστρου κατὰ κορυφὴν ἐντορεύουσιν αἴλουρον ἀνθρώπου ἔχοντα. (Et mox) τῷ δὲ αἰλούρῳ τὴν σελήνην, διὰ τὸ ποικίλον καὶ νυκτουργὸν καὶ γόνιμον τοῦ θηρίου. *Curvamini Sistri autem in vertice insigunt Felem humana facie, &c. Fele Lunam repræsentante ob animalis istius varietatem, ac vim noctu agendi, & fœcunditatem.* Felis Lunæ filius fabulosè dicitur; quod Lunæ sequatur naturam: subjungit enim Plutarchus Felis oculorum pupillas dilatari, & attenuari secundum Lunæ cursum;

humana

humanâ autem Felis facie innui Lunæ mutationes mente, ac ratione gubernari. Illa in hoc sistro humanâ facie minimè prædita est, at solitum, & sibi convenientem vultum præfert. Hoc animal apud Aegyptios divinis penè afficiebatur honoribus, nam quibuscumque in domibus Felis mortem oppetierat, cuncti earum domorum habitatores supercilia eradebant: si verò quisquam Felem vel spontè, vel invitè necasset, morte puniebatur; ut ex Herodoto in Euterp. & Eusebio lib. 2. Præp. ev. cap. 1. colligitur. In lateribus Sistri sculptus est flos loti, & nux pinea, quæ symbola Isidi, sive Deûm Matri sacra sunt. De loto alibi diximus, de pino meminit Ovidius lib. 6. Metamorph.

Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus
Grata Deûm Matri: siquidem Cybelejus Atys
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

Sistrum apud Aegyptios vicem tubæ in bello exhibebat, & apud Amazonas fœminarum exercitus hoc instrumento ad bellum vocabatur. Auctor est Isidorus lib.3. Orig. cap.21.

TABULA XVI.

ASSERVATUR aliud Sistrum in musco Jo. Petri Bellorij quatuor etiam habens virgulas transversales, cum Fele fœtibus lactantibus decumbente in ejus summitate insculpta, quæ Lunæ globum gerit in vertice connexionem hujus animalis cum Luna indicantem, juxta prædictam Plutarchi descriptiouem. In utroque Sistri latere Isidis mitra inspicitur.

TABULA XVII.

SEQUENS Sistrum ab alijs duobus differt, quòd Felis in ejus summitate sculpta humano vultu prædita sit, quòdque tres tantùm virgulas habeat transversales, quæ triplicem Isidis potestatem innuunt: eadem enim est Luna in cælo, Diana in terris, & Hecate apud inferos. Ausonius in ter. num. gry.

Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ.

Sic etiam Prudentius lib. 1. contra Symm.

Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu:
Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux,
Imperitat furijs, & dictat jura Megeræ.

Triplex eſt etiam aſpectus Lunæ, videlicet cum ſurgit in cornua, & falcata dicitur: cum dimidiata eſt: & cum orbem complet. Ternarius hic virgularum numerus poteſt etiam referri ad triplicem motum Lunæ, quæ tribus vijs movetur in cælo, in altitudinem, latitudinem, & longitudinem. Ternarij numeri laudes vide apud Macrobium lib. 1. in Somn. Scip. quem ut & quaternarium, ex quibus conſtat ſeptenarius inter arcana venerabant Pythagorici. *Ternarius* (inquit) *aſſignat animam tribus ſuis partibus abſolutam; quarum prima eſt ratio, quam* λογιστικὸν *appellant: ſecunda animoſitas, quam* θυμικὸν *vocant: tertia cupiditas, quæ* ἐπιθυμητικὸν *nuncupatur*. Triplex enim aſſignatur vis animæ, quæ eſt rationalis, iraſcibilis, & concupiſcibilis. Humanam vitam triplicem eſſe ſcribit Jamblichus ſect. 5. de Myſt. cap. 18. intellectualem, naturalem, & mediam inter utramque. Divinas quoque eſſentias, & potentias triplices eſſe docet; vel enim illæ imperant animæ, & naturæ; vel ab anima, & natura prorſus abſtrahuntur; vel medio ſe modo habent. Ternario numero in rebus divinis priſci utebantur, quemcumque enim ſuperûm hoc numero delectari credebant. Tibullus lib. 1. el. 2.

Hæc mihi compoſuit cantus, quis fallere poſſes:
Ter cane, ter dictis deſpue carminibus.

Etenim numerus iſte in religionibus, rebusque omnibus potentiſſimus habebatur, & maximè in ſanandis morbis, ſi fides Plinio lib. 26. cap. 9. Vir eruditiſſimus Jo. Petrus Bellorius ait in expoſitione Symbolici Deæ Syriæ ſimulacri Siſtrum tribus tantùm virgulis confectum innuere ſententiam illorum, qui ignem inter elementa non admittebant, ſed ad generationem rerum naturalium ſupleri calore Solis autumabant. Diverſas priſcorum opiniones circa numerum elementorum recenſet Plutarchus; quidam enim terram inter prima, & præcipua mundi elementa non admittebant putantes illam neque immobilem eſſe, neque mediam tenere globi regionem, ſed eſſe in gyrum circum ignem ſuſpenſam, quam ſententiam refert ille in Numa. Scribit verò in opuſculo de Iſ. & Oſir. alios affirmare terram, aërem, & ignem fuiſſe tria prima corpora ab aqua rerum omnium principio effecta. Ἡ γὰρ ὑγρὰ φύσις, ἀρχὴ καὶ γένεσις οὖσα πάντων ἐξ ἀρχῆς, τὰ πρῶτα τρία σώματα, γῆν, ἀέρα, καὶ πῦρ ἐποίησε. *Humida enim natura, cùm ab initio principium, & ortus omnium eſſet rerum, tria prima effecit corpora, terram, aërem, & ignem.* Pulcherrimum hoc ſiſtrum æreum viridi obductum ærugine in gazophylacio Excellentiſs. Burgheſij cuſtoditur. Magnificæ, & ſumptuoſæ hujus Principis ædes nobiliſſimum ejus animum arguunt: patent illæ quotidie à curioſis exteris inviſendæ; ur-

banæ

banæ quidem picturis, statuis, alijsque pretiosissimis supellectilibus exornatæ; rurales verò propè, & extra Urbis mœnia sitæ statuis pariter, & picturis, plurimisque rebus mirabiles naturæ, & artis varietates exhibentibus instructæ. Illic horti amœnissimi, virentibus semper arboribus consiti, limpidisque irrigati fontibus, publicæ voluptati comparati sunt; in quorum medio verè condigna Floræ habitatio extructa est, superbusque huic Deæ erectus triumphalis arcus. Singula inibi singulis diebus rident: omnia omnibus nobile præbent oblectamentum. Mille, & amplius vasa novis semper floribus referta varias anni tempestates distingunt: Iris, Hyacinthus, Narcissus, Anemone, Ranunculus, Tulipanus, Leucojon, Jasminum tum Hispanicum, tum Alexandrinum, alijque flores sibi invicem succedentes jucundis varietatibus, suavibusque odoribus visum, & odoratum perpetuò recreant, ac reficiunt.

TABULA XVIII.

PATERAS sic dictas scribit Isidorus lib. 20. Orig. cap. 5. quòd patentes sint, dispansisque labris: erant autem vasa sacrificijs destinata, quibus Sacerdotes vinum inter cornua victimarum spargebant, ut canit Virgilius de Didone lib. 4. Aeneid.

Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fudit.

Dianæ dicatam fuisse hanc pateram Canis, & Nympharum, sive Oreadum capita facilè denotant; siquidem istæ Dianam comitabantur; ille verò eidem sacer erat, utpote ad venationem idoneus. Montium custodem, nemorumque virginem vocat illam Horatius lib. 3. Car. od. 22. & sæpe à Poëtis Venatrix, & Jaculatrix dicta est. Sic etiam Ovidius Dianam feras insectantem describit lib. 3. Amor. el. 2.

Talia pinguntur succinctæ crura Dianæ,
Cùm sequitur fortes fortior ipsa feras.

Scribit Xenophon lib. de Venat. Canes, & Venationes inventum Deorum Apollinis, & Dianæ. Τὸ μὲν εὕρημα θεῶν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος ἄγραι καὶ κύνες. Tria capita triformem Dianam forsan innuunt. Virgil. lib. 4. Aeneid.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Canes autem immolabantur Hecatæ, quod Canis latrans lemures in fugam convertat.

TABULA XIX.

EUMDEM esse Solem, atque Mercurium docet Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 19. Sic Aegyptij pinnata fingebant Solis simulacra, quibus color apud eos geminus erat; alter clarus, cùm Sol superiorem Zodiaci partem, sive æstivam ambit; alter cæruleus, cùm in parte inferiori signa hyemalia percurrit. Hoc simulacrum dextrâ lotum, sinistrâ lyram gestat. Loti flos denotat virtutem Solis moventem ad generationem, ejusque motum sequitur ab ortu ad occasum, ut legitur apud Proclum lib. de Sacrif. & Magia. *Lotus implicat quidèm in se folia ante Solis exortum, oriente verò Sole explicat paulatim, & quatenus Sol ad mediam cæli ascendit plagam, eatenus pandit folia: quatenus verò à medio petit occasum, gradatim folia contrahit: videtur hæc non minus dilatatione, contractioneque foliorum honorare Solem, quàm homines genarum gestu, motuque labiorum.* Lyra Apollinis chordarum septem tot cælestium sphærarum motus innuit.

TABULA XX.

EXHIBETUR in hac patera Mercurius differens cum Paride pileo phrygio insigni fortè de sententia inter Deas ferenda. *Pingitur cum petaso gnatus Majæ*, inquit Arnobius lib. 6. adv. Gent. *tamquam vias aggredi præparet, & Solem, pulveremque declinet.* Pinnata talaria gestat pedibus, sive *quòd negotiantium pedes ubique pergendo, quasi pinnati sint*, ut scribit Fulgentius lib. 1. Mythol. sive quòd ipse omnium planetarum sit velocissimus, septimâ enim die suos permeat circulos. Alæ conveniunt etiam Mercurio uti eloquentiæ præsidi, quia sermone nihil est velocius: unde Homerus lib. 1. Odyss. vers. 122. verba vocat alata.

TABULA XXI.

SEQUITUR raptus Helenæ in alia patera expressus. Adsunt Trojani cum pileis phrygijs rapturam, seu jam raptam Principem comitantes. Fertur Paridem in insula Cranæ primum habuisse cum Helena congressum, ædemque in continentis terræ adverso littore Veneri Migonitidi, sive conjugali faciendam curavisse: at octavo fermè post Trojam eversam anno Menelaus proximè ad Migonitidis simulacrum Thetidis, & Praxidicæ quasi vindicatricis signa dicavit.

Injuriam

Injuriam tamen sibi illatam ulcisci non valuit, siquidem ipsi superstes fuit Helena, quæ deinde à Nicostrato, & Megapenthe pulsa ad Polyxonem Argivam Tlepolemi uxorem cognatam suam Rhodum venit, cujus ordine ad arborem suspensa laqueo vitam finijt. Auctor est Pausanias in Lacon. Hæc patera in museo nostro asservata non minimi est momenti ob pulcherrimam æruginem, quâ obducta est, ad Smaragdi viriditatem, & nitorem proximè accedentem.

TABULA XXII.

Repræsentantur in hac patera Lares publici sedentes, clypeis innixi, hastas tenentes. Hostes ab illis putabantur arceri, ideoque cum hasta pingebantur. De illis mentionem facit Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Antiq. Rom. his verbis. Νεὼς ἐν Ῥώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς οὐ πόρρω, &c. Ἐν δὲ τούτῳ κεῖνται τῶν Τρωικῶν θεῶν εἰκόνες ἅπασιν ὁρᾶν, ΔΕΝΑΣ, ἐπιγραφὴν ἔχουσαι, δηλοῦσαν τοὺς Πενάτας. δοκεῖ γάρ μοι τοῦ Π μήπω γράμματος εὑρημένου, τῷ Δέλτα δηλοῦν τὴν ἐκείνου δύναμιν τοὺς παλαιούς. εἰσὶ δὲ νεανίαι δύο καθήμενοι, δόρατα διειληφότες, τῆς παλαιᾶς ἔργα τέχνης. *Templum Romæ non procul à foro ostenditur, &c. In eo positæ sunt Trojanorum Deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum inscriptione, DENAS, quæ Penates significat: videntur enim mihi prisci ante inventum P. usurpasse pro eo D. litteram; sunt autem hastati duo juvenes habitu sedentium, admodum antiqui operis.* Varias Scriptorum de Penatibus opiniones refert Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 4. & maximè Virgilij, qui magnos Deos Penatum comites scribit lib. 3. Æneid.

Cum socijs, gnatoque, Penatibus, & magnis Dis.

Inter quos Junonem, & Bacchum recenset lib. 1.

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.

Unde hæc imaguncula vice manubrij pateræ apposita intelligi potest de Baccho gestante coronam in capite sive ex hedera, sive ex rosis, alijsve floribus, aut herbis contextam, quibus solebant veteres in epulis comas circumdare: vestis autem ex humeris talorum tenus dependens fortè illa est, quæ Bassarida vocabatur à Bassara Lydiæ oppido, & quam Bacchus aliquando gerebat.

TABULA XXIII.

Exhibetur in hac patera Deorum maximus sedens inter duas mulieres, quarum una obstetricis vicesgerens Minervam, sive Palladem ex Jovis vertice armatam prosilientem ambabus sublevat manibus;

manibus; altera parturienti Deo videtur opem ferre eum in partu amplexum sustinens: adstat Vulcanus cum securi, vel dolabra, qui Jovi cervicem fregit, ut facilius puerperium prodiret. Minerva hic nascens repræsentatur planè, ut ab Ovidio describitur lib.3. Fastor.

Parva licet videas capitæ delubra Minervæ,
Quæ Dea natali cepit habere suo.
Nominis in dubio caussa est: capitale vocamus
Ingenium solers, ingeniosa Dea est.
An quia de capitis fertur sine matre paterni
Vertice cum clypeo prosilvisse suo.

Minerva de Jovis vertice nata fingitur, quia ingenium in cerebro positum est, ut docet Fulgentius lib. 2. Mythol. Ingenium autem, sive sapientia in capite hominis dicitur esse, hoc est, sensus sapientis, qui invenit omnia, juxta Isidori explicationem lib.19. Orig. cap. 20. unde hæc Dea præesse creditur artibus, quia nihil excellentius est ingenio, quo reguntur universa. Scribit Phornutus Minervam esse Jovis Intellectum, sive illius providentiam, ideoque in honorem Minervæ templa providentiæ posita fuère; & quia veteres in cerebro totius animæ regimen, & prudentiam esse voluerunt, fortè quia suprema corporis humani pars caput est, sicut summa mundi pars æther, ea de causa Minervam ex cerebro Jovis prognatam, ingenijsque præesse dixerunt. Sed quare Jupiter sedens supernè nudus, infernè tectus fingatur, declarant Porphyrius apud Eusebium lib. 3. Præp. ev. cap. 3. & Georgius Codinus de Orig. Constant. Sedet ille, ut immotam potestatis suæ constantiam, stabilitatemque significet; partes corporis superiores nudas habet, quòd ipse intelligentibus, ac cælestibus mundi partibus se conspicuum exhibeat: inferiores verò tectas, quòd Deus humi repentibus sit ignotus, & in infimis rebus, penitusque reconditis absconditus delitescat: sceptrum lævâ tenet potestatis indicium, vel etiam quòd in eo latere cor cæterarum humani corporis partium facilè princeps, vimque intelligendi maximam complexum intestinum velut in proprio domicilio conquiescat: adest Aquila, quâ indicatur eum spiritibus aëreis imperare, ut Aquila volucribus.

TABULA XXIV.

QUATUOR Circifactiones in hac patera distinguntur. In circo Quadrigę agitabantur, indutique erant Quadrigarij tunicâ vel albâ, vel viridi, vel rufâ, vel cæruleâ, his coloribus quatuor anni tempora, seu potiùs quatuor elementa indicantes, quæ per quatuor numina in

na in hac patera expressa Minervam, Martem, Venerem, & Herculem optimè designantur. Minervam creditam fuisse aërem testantur Divus Augustinus lib.7. de Civit. Dei cap.16. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 20. & Diodorus lib.1. cap. 2. Sphæra Martis ex auctoritate ejusdem Macrobij lib. 1. in Somn. Scip. cap. 11. ignis habetur; est enim sydus ardens, & violentum, quod, teste Firmico lib.3., in septimo ab horoscopo loco, idest, in occasu partialiter constitutum maxima mala, & pericula decernit, facitque homines homicidas, & facinorosos. Venus ex spuma maris genita, & à Poëtis marina sæpius dicta, mare, sive aquam designat. Terra denique ex Herculis clava, pelleque leonina innuitur, siquidem clava plantas denotat, Leo animalia, quæ duo maximè terra gignit, & nutrit: Leo etiam magnæ Deûm Matri sacer erat, quæ tellus etiam vocabatur. Hæc patera Hetrusca, & fictilis est, quemadmodum primis nascentis Romæ temporibus uti solitum erat. De simpulis, vasibus, Deorûmque simulacris fictilibus plura referunt Seneca Epist.31. Plinius lib.34. cap.7. & Juvenalis Sat.6. qui de illis mentionem facit his versibus.

Et quis tunc hominum contemptor numinis? aut quis
Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat.

Sed quantum crevit Romanorum luxus; non fictilibus deinde, sed murinis, crystallinisve prolibatum est simpulis. Deorum simulacra, templorumque fastigia non ampliùs ex ligno; at ex auro, alijsque pretiosis metallis, sanctiora minùs certè, & innocentiora, sed maximis sumptibus elaborata. *Aurum, & argentum ne Dis quidem antiquitus conficiebant.* Ait Plinius lib. 35. cap. 12. *Cogita Deos*, scribit Seneca Ep.31. *cùm propitij essent, fictiles fuisse.* De beata illa primorum temporum simplicitate meminit etiam Tibullus lib.1. el.9.

Tum meliùs tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus:
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ;
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
Postque comes purum filia parva favum.

Unde aureum sæculum minus ex hominum innocentia, & puritate, quàm ex usus metalli hujusmodi privatione dictum facilè crederem cum Juvenale, qui tunc aurum fictilium Deorum simplicitatem nondum violasse scribit Sat. 11.


Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.


TABULA XXV.

AUGURES, teste Pompejo, quinque signorum genera observabant, ex cælo nempe, ex avibus, ex tripudijs, ex quadru pedibus, & ex diris. Tripudium ad pullorum augurium pertinebat, solebant enim Romani pullos caveâ inclusos ferre in bellis, ex quibus observabant rerum eventa. Si pascebantur avidè, bonum omen erat: si tam avidè, ut aliqua offæ particula ore excidens terram paviret, optimum, & hoc in libris auguralibus scribebatur tripudium solistinium: si verò pulli non pascebantur, triste, & infaustum reputabatur, pejus si è cavea fugissent. Scribit Valerius Maximus lib. 1. cap. 4. P. Claudium bello Punico primo prælium navale committere volentem, auspicijsque more majorum petitis, cùm Pullarius non exire caveâ pullos nuntiasset, abijci eos in mare jussisse dicentem, quia esse nolunt, bibant. Cicero etsi Augurum collegio adscriptus auguria vanitatis, & ineptiæ condemnavit lib. 2. de Divinat. ut & D. Cyprianus, qui auguriorum superstitionem irridet in opusc. de Idolorum vanit. *Non de religionibus sanctis (*inquit*) nec de auspicijs, aut augurijs Romana regna creverunt, &c. Pullos edaces Paullus habuit, & apud Cannas tamen cæsus est.*




I. ALBOGALERUS 2. APEX Tab. I.






Ex antiquo marmore

1. LITVVS 2. 3. SIMPVLA Tab. 2.




1. 2. Ex antiquo marmore 3. apud I. P. Bellorium

PRÆFERICVLVM *Tab. 3.*




Ex antiquo marmore


VAS AQVÆ LVSTRALIS
Tab. 4.
In museo Io. Petri Bellory



1. ASPERSORIVM 2. MALLEVS 3. 4. CVLTRI. Tab. 5.
2
1
3
4
Ex Antiquo marmore


SECVRIS

Tab. 6.




Apud I.P. Bellorium



COCHLEAR SECESPITA LIGVLA.
Tab. 7.
1
2
3
Apud I.P


ACERRA
Tab. 8.
Ex antiquo marmore



THVRIBVLVM
Tab. 9.
Apud D. Devvith



TRIPOS
Tab. 10.
Ex antiquo marmore



TRIPOS ÆREVS
Tab. 11
Apud I. P. Bellorium



TRIPOS ÆREVS
Tab. 12.
Apud Em.mum Card. Chigium


CANDELABRVM *Tab. 13.*





DISCVS
Tab. 14.
P. S. B. Sculp
Ex Antiquo marmore


SISTRVM ÆGYPTIACVM
Tab. 15
Apud Ill.mum D. Leonem Strozzium
P. S. B. sculp.


SISTRUM ÆGYPTIACUM
Tab. 16.
In Museo
Io. Petri Bellorij.


SISTRVM ÆGYPTIACVM
Tab. 17.
Apud Ecc. P. Burghesiam
P. S. B. Sculp.



PATERA ÆREA Tab. 18.
P. S. B. sculp.
Apud I. P. Bellorium

PATERA ÆREA *Tab. 19*



P.S.B. Sculp. Apud P.A. Rolandum Magninum

PATERA ÆREA Tab. 20



S. S. B. Sculp. Apud I. P. Bellorium


PATERA ÆREA Tab. 21.
P. S. B.
Apud M. A. Causeum De la Chausse Authorem

PATERA ÆREA *Tab. 22.*






P. S. B. Sculp.

Apud P. A. Rolandum Magnin



PATERA ÆREA
Tab.23
Ex Schedis P. S. Bartoli
P. S. B. sculp.


PATERA FICTILIS

Tab. 2. J.



P. S. B. Sculp. *Apud T. Devvith*


CAVEA PVLLARIA
Tab. 25.
P. S. B. sculp.
Ex antiquo marmore




ROMANUM MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO QUARTA.
Æneæ Antiquorum Lucernæ.

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO
D. LEONI POTIER DE GESVRES
Prothonotario Apostolico de numero Participantium, Abbati d'Orillac, & de Bernay, &c.

MICHAEL ANGELUS CAUSEUS DE LA CHAUSSE FEL.



ANC mearum in res antiquas annotationum partem eruditis tuis oculis propono, ILLUSTRISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE, illamque nobilissimo tuo nomini dedico, exiguum sanè pro tot, & tantis in me collatis beneficijs munus: sed quid de meæ fortunæ tenuitate expectandum. Majora præstarem, si desiderio æqualis foret potestas; majora certè, meis tamen obligationibus semper imparia. Tu me singulari complecti dignaris

 benevo-

benevolentiâ; Tu me immeritis cumulare gratijs non deſiſtis; Te conciliatore humaniſſimo ad SERENISSIMUM CENOMANENSIUM DUCEM opuſculo meo favorabilis conceditur acceſſus. Etſi meliore vultu me reſpexiſſet fortuna; quid aliud Tibi pro maximis illis tuis in me meritis præſtare poſſem?

. . . . . . Grates perſolvere dignas
Non opis eſt noſtræ.

Publicas tamen licet agere, palámque me tot Tibi titulis arctiſſimè devinctum prædicare; ſummam tuam affabilitatem, humanitatem, comitatem, doctrinam, variasque, ac præclaras nobiliſſimi tui ingenij dotes luci, & altitudini natalium coniunctas ubique commendare; vota pro tua incolumitate, necnon vitæ proſperitate rependere; fauſtaque Tibi omnia à D. O. M. præcari. Nihil ultrà meæ tenuitati conceditur: vale ergo, ILLUSTRISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE, Teque fatis admaxima quæque vocantibus præbe.

I.

Lucerna Crucis Columbam habentis.

HÆc Lucerna ſphærica eſt, & unilychnis ex anteriori parte veluti linguam exerens, in cujus apice foramen eſt ellychnio deſtinatum, aliud extat in centro ingreſſui fomitis datum: in poſteriori parte manubrium habet charactere hieroglyphico nomen Domini Noſtri Jesu Chriſti referens, utpote Salvatoris noſtri ſimulacro, vel Chriſtiani cujusdam cineri accenſa; manubrio ſuperimpoſita eſt Columba hieroglyphicum Spiritus Sancti, ſolitumque primævæ Chriſtianitatis ſymbolum, de qua Tertullianus lib. adver. Valent. cap. 2. & 3. *In ſumma*, inquit, *Chriſtum Columba demonſtrare ſolita eſt; Serpens verò tentare. Illa & à primordio divinæ pacis præco. Ille à primordio divinæ imaginis prædo. Ita faciliùs ſimplicitas ſola Deum, & agnoſcere poterit, & oſtendere; prudentia ſola concutere potiùs, & prodere. Abſcondat itaque ſe Serpens, quantùm poteſt, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur, per amfractus ſeriem ſuam evolvat, tortuosè procedat, nec ſemel totus, lucifuga beſtia. Noſtræ Columbæ etiam domus ſimplex, in editis ſemper, & apertis, & ad lucem. Amat figuram Spiritus Sancti, Orientem Chriſti figuram.* Scribit D. Chryſoſtomus Homil. in Matth. ideo Columbæ ſpeciem à Spiritu Sancto ſuſceptam, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix eſt charitatis.

Audia-

Audiamus D. Cyprianum lib. de Unit. Eccl. ipsam Ecclesiam Columbæ assimilantem his verbis. *Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat, & dicit. Una est Columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Et alijs interjectis. *In domo Dei, in Ecclesia Christi unanimes habitant, concordes, & simplices perseverant. Idcirco & in Columba venit Spiritus Sanctus, simplex animal, & lætum est, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum: hospitia humana diligere; unius domus consortium nosse; cùm generant, simul filios edere; cùm commeant, volatibus invicem cohærere; communi conversatione vitam suam degere; oris osculo concordiam pacis agnoscere; legem circa omnia unanimitatis implere; hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas; hæc charitas obtinenda, ut Columbas dilectio fraternitatis imitetur.* Columbam, aut piscem solebant primævi Christiani in annulis gestare, teste Clemente Alexandrino lib. Pædag. cap. 11.

II.

Lucerna Gryphi Crucem habentis in capite.

SEQUITUR alia Christianorum Lucerna oblonga, pensilis ex duabus catenulis; unilychnis est in anteriori parte tubulum quemdam emittens ad ellychnium evomendum in apice perforatum; habet in medio foramen operculo clausum, in quod oleum infundebatur, ex utraq; verò hujus foraminis parte notam, seu characterē hieroglyphicū nomen Christi significantem. Manubrium adinstar cujusdam colli terminatur in caput Gryphi, cui Crux superimposita est. Gryphus animal Soli dicatum, fabulosum quidem, ut reor, sed in hieroglyphicis frequens, alis, & facie Aquilæ simile, reliquis verò partibus Leoni, de quo fusiùs infrà. Primævi Christiani Dominum Salvatorem nostrum tamquam divinum Solem, mundum immortali suo splendore illustrantem, infernalesque fugantem tenebras hoc hieroglyphico forsan innuere voluerunt.

III.

Lucerna Naviculam referens.

ELEGANTEM Naviculam exhibet hæc Lucerna, pensilis est è duabus catenis, & bilychnis duplicem linguam è dextro latere

exercens utramque foramen habentem flammulæ dicatum : in centro navis inſurgit malus, cui velum ventis inflatum appenſum eſt; ejus ſummitati affixa eſt tabula hanc epigraphen inciſam habens. DOMINVS LEGEM DAT VALERIO SEVERO EVTROPI VIVAS. Juxta infimam mali partem exiguum cernitur foramen recipiendo fomiti aptum. Ad proram in caput olorinum deſinentem ſtat vir quidam beato Petro Apoſtolo facie ſimilis : ad puppim verò ſedet alter remum utraque manu tenens, fratrem ejus Andream haud dubiè repræſentans. Quid ſibi velit inſcriptio, nunc inquirendum. Valerius Severus Chriſtianâ religione imbutus, mortem tamquam legem ſibi à Domino impoſitam conſtanti animo expectans, longiorem Eutropio vitam optat more veterum, qui morientes circumſtantibus amicis ſolebant dicere, *Vivite*, *ac valete*, quod erat grati animi officium. Sic Auguſtus apud Suetonium in oſculis Liviæ deficiens, *Livia*, inquit, *noſtri coniugij memor vive*, *ac vale*. Eutropius deinde in ſepulchro Valerij Severi Lucernam hanc dilectæ cineri accenſam fortè collocavit, ac morientis amici verba, ejusque erga beatos Petrum, & Andream Apoſtolos pietatem in eadem Lucerna exprimere voluit.

IV.

Lucerna Aquilæ Jovi D.

HÆc Lucerna Jovi à quodam L. Tettio Alypo dicata penſilis, & bilychris eſt, in cujus medio conchylium extat perforatum fomitis ingreſſui deſtinatum; in poſtica parte ſtat Aquila expanſis alis inſiſtens fulmini, qualis reperitur in nummo aureo, & argenteo Domitiani cum hac epigraphe IVPITER CONSERVATOR. Lucernam huic ferè ſimilem protulit Fortunius Licetus lib. 6. cap. 58. ſed abſque fulmine, conchâque ad oleum ſuſcipiendum minimè perforatâ; nomen quoque laminæ inciſum variat, legitur enim in illa talis inſcriptio, ETEITIVS ALYPVS IOVI DD. In hac verò L. TETTIVS ALYPVS IOVI DD. Unde illam aut erratam, aut ab hac noſtra diverſam eſſe non dubito. Fulmen ſymbolum eſt divinitatis, ut apparet in multis Imperatorum numismatibus eorum Apotheoſim fulmine expreſſam exhibentibus; Aquila omen dominationis, teſte Juſtino lib. 12. nativitatem Alexandri Magni referente his verbis. *Prodigia magnitudinis ejus in ipſo ortu nonnulla apparuerunt. Nam eâ die, quâ natus eſt, duæ Aquilæ totâ die præpetes ſupra culmen domus patris ejus ſederunt, omen duplicis Imperij Europæ, Aſiæque præferentes.*

Aquila

Aquila fuit etiam victoriæ signum, ut narrat idem Justinus lib. 20. *Pugnantibus Locris*, ait, *Aquila ab acie numquam recessit, eosque tandiu circumvolavit, quoad vincerent*. Illam avium reginam, Jovisque armigeram finxerunt Poëtæ; etenim sola avium fulmine non læditur, si fides Plinio lib. 2. cap. 55. & lib. 10. cap. 3. Scribit Isidorus lib. 17. Origin. cap. 3. Aquilam eâ ratione Jovi dicatam, quòd, dum ipse adversus Titanas proficisceretur, Aquila in auspicio ei apparuerit, quam ille pro indicio victoriæ acceptam Legionibus in signum dedit. Eâ deinde ad rapiendum Ganymedem sibi pocula ministraturum usus est. Virgilius lib. 5. Æneid.

Intextusque puer frondosâ regius Idâ, &c.
. . . . Quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.

V.

Lucerna Vestæ.

EXHIBETUR Lucerna Vestæ dicata pariter ut præcedens pensilis è tribus catenis, habens in anteriori parte duplex foramen in apice duplicis cujusdam tubuli ellychnijs corruscantibus positum, in centro verò aliud majus ad excipiendum oleum constructum: in posteriori parte templum rotundum duarum columnarum, in cujus medio Vestæ stantis simulacrum alterâ manu pateram, alterâ tædam ardentem, cui bulla ante pectus dependet: ad ejus pedes stant duo Leones supra Lucernam in utroque majoris foraminis latere positi. Vesta sumitur aliquando pro igne, teste Ovidio

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Unde in nummo Vespasiani repræsentatur hæc Dea stans sinistrâ sceptrum tenens, dextrâ lampadem ignis symbolum. Ignis perpetuus huic Deæ consecratus erat, cujus rei rationem reddit Phornutus. *Ignis autem perpetuus*, inquit, *Vestæ dicatus est, quòd videatur plurimis & ipsam esse ens; nimirum ignis iste perpetuus Vestæ consecratus ostendit ipsam esse causam ejus ignis, qui in mundo est, quasi ejus vi exortus sit. Est & alia causa perpetui ignis, nempe quod terra fœcunda mater sit animalium omnium, & suam vitam ab igne habeat*. Exhibetur autem in templo rotundo huic simili, quod Numam sacro igni asservando extruxisse ferunt, indicante non effigiem terræ, quasi ea Vesta sit, sed universi mundi, in cujus medio Pythagorei sedem ignis locant, eamque Vestam nominant, & unitatem. Auctor est Plutar-

chus in Numa. Eamdem etiam creditam esse cum terra docet Arnobius lib. 3. adv. Gent. *Terram nonnulli Vestam pronunciant, quòd in medio stet sola, cæteris ejus partibus in mobilitate perpetua constitutis.* Hac enim de causa Leones ejus simulacro subjiciuntur, quòd ferox illud animal terram habitet, ab eaque nutriatur. Sacer quoque habebatur Leo Magnæ Deûm Matri, quæ colebatur sub nomine Cybeles, & Vestæ, unde & Vesta, & Mater vocata est. Hujus rei varia monumenta apparent in numismatibus antiquis, sed maximè in rarissimo æreo primi moduli nummo habente in antica parte caput Juliæ Sept. Severi uxoris cum hac epigraphe IVLIA AVGVSTA; in aversa verò quatuor, vel sex figuras muliebres sacrificantes coram Templo rotundo quatuor columnis suffulto cum inscriptione VESTA MATER. In alijs numismatibus visitur eadem Dea Leonibus vecta, vel sedens inter duos Leones cum epigrap. MATRI DEVM. MATRI MAGNÆ. De bulla collo appensa diximus Sectione II. & fusiùs agemus Sectione ultima.

VI.

Lucerna Gryphi Soli D.

HÆc Lucerna Soli dicata pensilis quoque, & bilychnis est: in centro quinque exigua foramina inter duos circulos conspiciuntur fomiti recipiendo destinata; in postica parte stat Gryphus inter duas columnas ornamento quodam impositus, anteriori pede dextro rotam voluens. Gryphus symbolum est Solis; rota, quam volvit, indicat procreationem rerum omnium provenire ex continuo motu, & circuitu currus solaris: duabus columnis innuuntur duo tropici Solis cursum ab utraque Zodiaci parte terminantes, sive potentia Solis ab ortu ad occasum; forsan illæ ad æquinoctia, & solstitia referuntur. Scribit Ælianus lib. 4. de Animal. cap. 27. Gryphum animal Indicum quadrupedem ut Leonem esse, robustissimis existere unguibus Leonum similibus, dorsum ejus pennis nigris indui, anteriorem corporis partem rubris, alas candidis; ore Aquilino esse, oculis igneis, nidosque in montibus facere. Bactri populi Indis finitimi Gryphos illic auri custodes esse, aurumque effodere, simulque eo ipso nidos construere dicunt. Indi verò eos auri custodes esse negant, siquidem auri minimè egent, sed cùm ad illud colligendum homines accesserunt, hos de pullis suis valde timentes pro eis pugnare. Certant etiam cum alijs animalibus, quæ facillimè vincunt, at contra Leones,

Leones, & Elephantos ſtare non audent. Fertur etiam, teſte Plinio lib. 7. cap. 1. Arimaſpos uno oculo in media fronte inſignes cum Gryphis bellum aſſiduè ob metalla gerere, Gryphosque aurum è terræ viſceribus eruere, & cuſtodire, Arimaſpos autem rapire, quæ omnia fabuloſa eſſe reor cum Herodoto in Thal. cujus verba hic refero. Πρὸς δὲ ἄρκτου τῆς Εὐρώπης πολλῷ τι πλεῖστος χρυσὸς φαίνεται ἐών. ὅκως μὲν γινόμενος, οὐκ ἔχω οὐδὲ τοῦτο ἀτρεκέως εἶπαι. λέγεται δὲ ὑπὸ τῶν γρυπῶν ἁρπάζειν Ἀριμασποὺς, ἄνδρας μουνοφθάλμους, πείθομαι δὲ οὐδὲ τοῦτο, ὅκως μουνόφθαλμοι ἄνδρες φύονται, φύσιν ἔχοντες τὴν ἄλλην ὁμοίην τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι. *Cæterùm ad Septemptrionem Europæ quamplurimam vim auri eſſe conſtat: ſed quomodo fiat, ne hoc quidem pro comperto dicere queo. Dicuntur tamen id à Gryphibus auferre Arimaſpi viri unoculi; quod nec ipſum crediderim, ut viri naſcantur unoculi cæteram naturam habentes aliis hominibus parem.*

VII.

Lucerna Ledæ.

HÆc Lucerna Ledæ dicata oblonga eſt adinſtar naviculæ; in utraque extremitate foramen habet flammigero ellychnio aſſignatum; in medio majus inſpicitur oleo excipiendo præparatum: hæc inter foramina duæ ſunt anſulæ perforatæ capita, & colla Cygnorum referentes, per quas trajecta fila duo ferrea in modum catenarum Lucernam in altum penſilem detinent, deſinuntque inſerta in annulum, ex quo aliud ſimile filum pendet Ledæ caput in medio appenſum regens. Jupiter in Cygnum converſus Ledâ Tyndari Laconiæ Regis uxore potitus eſt, quæ duo deinde ova peperit, ex quorum uno Pollux, & Helena, ex altero Caſtor, & Clytemneſtra orti finguntur. De hoc congreſſu meminit Ovidius lib. 6. Metam.

Fecit olorinis Ledam recubare ſub alis.

Sic Helena apud eumdem Poëtam in epiſtola ad Paridem.

Dat mihi Leda Jovem Cygno decepta parentem.

Leda poſt deificationem dicta eſt Dea Nemeſis.

Lucerna

VIII.

Lucerna Palladis Victricis.

PRODIT Lucerna Palladi Victrici dicata, pensilis, & bilychnis, habens in centro foramen intra plures circulos fomitem bibens: in postica parte templum rotundum duabus columnis suffultum, in cujus medio Pallas, seu Minerva galeata, & togata, Gorgonam gestans pectori affixam, dextrâ ramum olivæ. Tres catenæ, quæ pensilem detinent Lucernam, pendent è lamina, cui incisa sunt hæc verba, PALLADI VICTRICI. Similem Lucernam libro 6. de reconditis antiquorum Lucernis cap. 47. exhibuit Fortunius Licetus cum eadem inscriptione, & imaguncula, sed absque Gorgona, gladioque vice oleæ in manu Palladis dato. Hæc Dea in contentione cum Neptuno, uter eorum Cecropiam de suo nomine appellaret, oleam produxit; Neptunus verò terrâ tridente percussâ Equum: Placuit magis Minervæ olea pacem designans, quàm Equus omen belli, unde Minerva victrix evasit, Cecropiamque de suo nomine Athenas vocavit. Scribit Pausanias in Attic. oleam hanc incensâ à Persis urbe conflagrasse, eodemque die in duorum cubitorum altitudinem germinasse, quod ab Herodoto in Urania confirmatur. Ætate verò Plinij fama erat eam adhuc Athenis durare, teste eodem Plinio lib. 17. cap. 44. Minervam oleæ inventricem canit Virgilius lib. 1. Georgic.

IX.

Lucerna Equi Neptuno D.

VICTRICEM Minervæ oleam sequitur Equus Neptuni, è cujus medio pectore prominet veluti tubulus habens in apice foramen papyro ardenti assignatum, nullum autem apparet fomiti suscipiendo distinctum, ex quo conjectare licet hanc Lucernam semel impletam, & accensam, novique fomitis adiectu minimè indigentem perpetuâ flammâ exarsisse. Lucernæ inextinguibiles tum ad tempus, tum perpetuæ fiebant. De priorum numero fuit illa aurea Minervæ dicata, de qua Pausanias in Attic. quæ licet per dies, noctesque arderet, oleum tamen in ea infusum nisi exacto anno minimè consumebatur. De perpetuò ardentibus multi scripsere, quorum auctoritates, relatasque historias magno studio compilavit Fortunius Licetus, unde

pauca

pauca de illa perenni flamma hic attexam. Narrat Porphyrius lib. 2. de abstin. ignem immortalem in Templis conservari solitum, quippe qui Dijs simillimus sit. Strabo de Munychia urbe Atheniensium ad Pyreum sita tractando templum Minervæ recenset, in quo lucis inextinctæ lychnus erat. Refert Plutarchus in Camillo Virgines Vestales, quæ perpetuo igni custodiendo præpositæ erant, Urbe à Gallis captâ in Capitolium fugisse, sacrumque ignem ibi secum asportasse, quod tam faciliter, & citò facere nequivissent, si in aliquo rogo ignis iste arsisset, non autem in Lucerna huic simili, quam in manu Vestæ exhibet nummus argenteus Vespasiani. D. Augustinus etiam lib. 21. de Civit. Dei cap. 6. de quodam Veneris fano loquitur, ubi candelabrum erat, & in eo Lucerna sub dio sic ardens, ut eam nulla tempestas, nullusve imber posset extingere; unde sicut ille lapis, ita ista λύχνος ἄσβεστος, idest, *Lucerna inextinguibilis* dicta est. Subjungit deinde vir sanctus. *Aut ergo in Lucerna illa mechanicum aliquid de lapide asbesto ars humana molita est, aut arte magicâ factum est*. At illas naturaliter fieri luculentum testem habemus virum præclarissimum, vitæque sanctitate conspicuum Cassiodorum, qui similes Lucernas se fecisse scribit in lib. de Institut. divin. scriptur. cap. 30. *Paravimus etiam nocturnis vigilijs mechanicas Lucernas conservatrices illuminantium flammarum, ipsas sibi nutrientes incendium; quæ, humano ministerio cessante, prolixè custodiant uberrimi luminis abundantissimam claritatem: ubi olei pinguedo non deficit, quamvis flammis ardentibus jugiter torreatur*. Hæ perennes Lucernæ oleo asbestino replebantur, quod erat incombustile, nomenque ex argumento naturæ obtinuit. Lapis iste ferrei coloris nascitur in Arcadia, semelque accensus extingui nequit: sic telam ex carbasino lino, asbestove, vel amianto lapide contextam, in qua cadavera Magnatum antiquitus cremabantur, flammis invictam fuisse constat; cujus mirabilis telæ, ut & asbestini lapidis rarissimæ asservantur reliquiæ in celeberrimo museo Eminentissimi Cardinalis Chigij. Plura vide apud D. Augustinum lib. 21. de Civit. Dei cap. 5. Plinium lib. 19. cap. 1. & lib. 37. cap. 10. Solinum cap. 13. Nos ad Lucernam nostram redeamus. Neptunus à Græcis Hippius dictus est, à Latinis Equestris, & Consus, cui Romulus solemnes paravit ludos Consualia vocatos, teste Livio lib. 1. Aedem, & aras Neptuno Equestri dicatas memorat Pausanias in Arcad. in Attic. & in El. pr. Ab illo Equos primùm domitos, scientiamque equestris rei traditam narrat Diodorus lib. 5.

X. XI.

Lucernæ Silenorum.

HÆ duæ Lucernæ capita humana referentes Silenos haud dubiè repræsentant: primus barbam habet vitium frondibus contextam, superioremque nasi partem, sive frontem, & malas jisdem obductas; alter hederâ coronatus est. Os utriusque apertum amplum exhibet foramen, ex quo ellychnij ligula exerebatur; habet etiam uterque in fronte foramen operculo clausum, oleo excipiendo paratum. Tam vitis, quàm hedera fuit Libero patri sacra; ista quidem, quia, ut ille semper juvenis, hæc semper viret; illa verò, quòd ipse vitium feratur inventor. Tibullus lib. 3. el. 6.

Candide Liber ades, sic sit tibi mystica vitis,
Sic hederâ semper tempora vincta feras.

Bacchæ autem, & Satyri, & Panes, & Sileni erant ejus comites, teste Suidâ. Βάκχαι καὶ Σάτυροι καὶ Πᾶνες καὶ Σιληνοὶ ὀπαδοὶ Διονύσου. Frequens occurrit Silenorum effigies in Lucernis, quia comessationes à priscis noctu ad lumen Lucernarum fiebant, ut docet Plutarchus Symoposiac. lib. 8. cap. 6. referens antiquitus Romanos seorsim prandere solitos, cænare cum amicis. At Silenus symbolum est ebrietatis, quæ ab illis incurrebatur in cæna. Priorem hanc Lucernam protulit Fortunius Licetus lib. 6. cap. 75. pampinis in achanti frondes commutatis errore forsan malè delineatæ iconis sibi transmissæ.

XII.

Lucerna Columbæ Veneri D.

HÆc Lucerna in effigiem Columbæ efformata pensilis ex duabus catenis, & unilychnis est; duplex foramen habet, unum in extremitate caudæ flammulæ datum, alterum in summitate dorsi clausum operculo, in quod oleum infundebatur. In tutelam Veneris ponuntur Columbæ eâ de causa, teste Fulgentio lib. 2. Mythol. quòd hujus generis aves sint in coitu fervidæ. Illas Venereo currui alligarunt Poëtæ; easdem Virgilius aves Aeneæ maternas vocat lib. 6. Aeneid.

Vix ea fatus erat, geminæ cùm fortè Columbæ
Ipsa sub ora viri cælo venêre volantes,

Et vi-

Et viridi sedere solo, tum maximus heros
Maternas agnoscit aves.

Syri putabant nefas esse Columbas violare, quòd in tutelam Veneris essent, credebantque Semiramin in hanc avem esse conversam; Semiramis enim, linguâ Syriacâ, avem significat: alij eam ab avibus adhuc infantem nutritam dicunt, eaque de causa Semiramin vocatam. Hyginus fab. 197. *Syri pisces, & Columbas ex Deorum numero habent, non edunt.*

XIII.

Lucerna Dianæ Ephesiæ D.

VOTIVAM hanc Lucernam Dianæ Ephesiæ à quodam Eutyche Alexandro Miletopolitarum Stratego dicatam in symbolica hujus Deæ statua cum utroque hoc nummo exhibuit Joannes Petrus Bellorius. Apex manubrij recurvus falcatæ Lunæ imaginem refert cum hac epigraghe. ΑΡΤΕΜΙΣ. ΕΦΕCΙΩΝ. ΕVΤΥΧΟΥC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. DIANA EPHESIORVM EVTHYCHIS ALEXANDRI MILETOPOLITARVM. Hujus Miletopolitarum Strategi nomen legitur in aversa parte nummi ærei Commodi ab Eritio vulgati Mercurium repræsentantis saxo insidentem, dextrâ caduceum gestantem cum epigraphe ΕVΤΥΧΟΥC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. primis litteris ΕΠΙ. CT. ærugine sine dubio corrosis. Alter ejusdem urbis nummus, quem vir præclari nominis & insignis doctrinæ Eques Carolus Patinus edidit, in honorem Gordiani Pij à Miletopolitis sub quodam Marco Trajano Aurelio Hermete cusus Dianam venatricem exhibet in aversa parte cum inscriptione. ΕΠΙ. Μ. ΤΡ. ΑΥΡ. ΕΡΜΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. De Miletopoli Græciæ oppido inter Cyzicum, & Bythiniam circa Rhyndacum fluvium consule Stephanum, Strabonem, & Plinium. Hæc ferè omnia de votiva Dianæ Ephesiæ Lucerna ex Jo. Petro Bellorio loco citato.

XIV. XV.


Lucernæ imagines Equitum referentes.


UTRAQUE hæc Lucerna insolitæ, & spectabilis facturæ votum procul dubio referens hominem repræsentat equo insidentem. In priori, quæ pensilis est, è medio equi pectore tubulus quidam pro-

mine


minet in apice foramen habens ellychnio corruſcanti datum; figura intus vacua eſt humeris ad recipiendum fomitē perforatis. In altera Eques ipſe Lucernulam in altum levatam manu tenet; ab utraque parte vas poſitum eſt Aquilis in eo ſculptis inſigne, operculum habens capitibus ornatum; baſis quatuor tigrinis pedibus fulcitur. Hæc imago à figura equeſtri Marci Aurelij in arëa Capitolina collocata non multùm differt tum propter geſtum, tum etiam propter quamdam vultus ſimilitudinem: votum fortè iſtius Imperatoris eſt Jovi Capitolino factum ob partam de Germanis, & Sarmatis victoriam, capitaque in operculo ſculpta ſunt illa populorum devictorum, quiddam enim barbarum referunt. Hæc Lucerna caret foramine ſuſcipiendo fomiti conſtituto, unde & illam inextinguibilem fuiſſe autumo, noviquc liquoris adiectu minime indigentem.


Ex Schedis Authoris


LVCERNA X̄PIANORVM
1
P. S. B. Sculp
Apud P. A. Rolandum magninum



LVCERNA XPIANORVM
2
P. S. B. Sculp:
Apud I. P. Bellorium

LVCERNA B.B. PETRI ET ANDREÆ 3




In Thesauro S. Magni Ducis Hetruriæ


LVCERNA IOVI.D.





P. S. B. Sculp.


Apud Ill.mum Vrbanum Roccium


LVCERNA VESTÆ. D.
5
P. S. B. Sculp.
Ex Schedis


LVCERNA SOLI D.
6
P. Santes Bartolus sculp.
Apud I.P. Bellorium


LVCERNA LEDÆ
7.
Apud P. A. Rolandum Magninum
P. S. B. Sculp.


LVCERNA PALLADIS
8
PALLADI VICTRICI
P.S.B. Sculp.
Apud I.P. Bellorium


LVCERNA NEPTVNO. S.
9
P. S. B. Sculp.
Apud Ecc.mum P. Burghesium

LVCERNA SILENI




P·S·B·Sculp· Apud P. A. Rolandum magninum

LVCERNA SILENI




P. S. B. Sculp. Apud P. A. Rolandum Magninum


LVCERNA VENERIS. 12
Apud Abbatem I. A. Albaretum

LVCERNA DIANÆ EPHESIÆ. S. 113




ex nummo Commodi





ex nummo Gordiani Py.



In Museo Io. Petri Bellorij


LVCERNA EQVITIS
14
In Museo nostro

LVCERNA EQVITIS



In Thesauro Barberino.



ROMANUM MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO QUINTA
Miſcellanea continens.

ARTICULUS PRIMUS.
Tria Vaſa, fictile videlicet hetruſcum, æneum, & marmoreum.



ULTA Vaſa fictilia hetruſca obſervantur in 1
muſeis varijs figuris depicta: unum hic exhi-
bemus pulcherrimum, in cujus priori parte tria 2
numina repræſentantur, Diana cum galea & ſcipione, Hercules cum clava, & Mercurius cum caduceo: in altera verò tres figuræ, quarum prima urceum tenet; ſecunda cornu ceras dictum, quo Sileni, alijque Liberi patris ſequaces ad bibendum utebantur; tertia utramque manum velatam habet. Harum figurarum quatuor larvatæ ſunt: larvæ autem erant dedicatæ Baccho, qui fuit

author luſus ſcenæ, vt & muſicæ theatralis, drammaticæque poëſeos. Hic Deus præerat etiam epulis, & comeſſationibus, unde imagines in hoc Vaſe delineatæ videntur alludere ad cænam Auguſti ſecretiorem; quæ vulgò δωδεκάθεος vocabatur, in qua convivas Deorum, Dearumque habitu, ipſumque pro Apolline ornatum diſcubuiſſe narrat Suetonius in ejus vita cap. 69.

3 Muſas novem exhibet elegans Vas æneum victoris fortè in muſi-
4 cis, aut poëticis ludis præmium: Vaſa enim in certaminibus ludisvè victoribus data plurimi declarant nummi Tripodes, Vaſa, Palmas, & Coronas referentes. De Muſis multi ſcripſere; unus inſtar omnium nobis erit Auſonius earum inventa, & munera his verſibus complexus Edyll. 20.

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat mœſta boatu.
Comica laſcivo gaudet ſermone Thalia.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Terpſichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Urania cæli motus ſcrutatur, & aſtra.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Muſas.
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

5 Sequitur Vas marmoreum huic ſimile, quod Pocillator Sectione II. manu gerit. Illius extremitas in caput animalis quamdam Cervi ſimilitudinem referentis terminatur: ſuperior verò pars anſata, & ſtriata eſt in modum cornu efficta fortè in memoriam veterum, qui ante inventionem poculorum cornibus boum ad bibendum utebantur. Hic mos vigebat apud Germanos ætate Julij Cæſaris ſcribentis lib. 6. bell.Gall. Vaſa cornua effingi apud eos ex Uris agreſtibus, quę feræ in Hercynia ſylva naſcuntur. Conſtat autem veteres poculis diverſimodè effigiatis delectari ſolitos, teſte Juvenale Sat. 2. *Vitreo bibit ille priapo*. De quibus plura vide Sectione II. in Pocillatore. Sed quidni dicere liceat Vas iſtud Dianæ ſacrificijs inſerviſſe? Cervos enim huic Deæ ſacros nemo neſcit.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

De Bullis, Armillis, Fibulis, Annulis, Clavibus, Tesseris, Stylis, Strigilibus, Guttis, & Phialis lacrymatorijs.

TUllus Hostilius tertius Romanorum Rex debellatis Hetruscis ea omnia, quæ insignia erant Magistratuum Hetruscorum, primus, ut Romæ haberentur, instituit; de quorum numero fuit Bulla aurea, quam victores in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam quibusdam remedijs adversus invidiam, ut putabant, valentissimis. Sed posteà Tarquinius Priscus acto de Sabinis triumpho filium suum annos quatuordecim natum, quòd hostem manu percusserat, Bullâ aureâ, prætextâque donavit; quæ deinde in usum puerorum nobilium, & ingenuorum usurpatæ sunt. Libertinorum verò filijs, qui ex justa dumtaxat matrefamiliâs nati erant, ut prætextam, & lorum in collo pro Bullæ decore gestarent, concessum est. Author est Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 6. Sic Juvenalis Sat. 6. 6

. . . . . . Hetruscum puero si contigit aurum;
Vel nodus tantùm, & signum de paupere loro.

Scribit Festus Bullam dictam à græco sermone βουλὴ, idest, *consilium*, quasi puerilis ætas alterius regenda sit consilio. Illam in figuram cordis formatam esse refert Macrobius pueris ante pectus dependentem è collo, ut eam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent: rotunda tamen observatur in marmoribus antiquis huic aureæ, quam hìc exhibemus, similis, non autem cordiformis, ut describitur à Macrobio. Ephebi Bullam auream, ut & alia donativa natali die accipiebant. Plautus in Ruden. act. 4. sc. 4.

Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.

Gestabantque illam usque ad XV. annum, ut rectè probat Octavius Ferrarius lib. 2. de re vestiar. cap. 1., idest, completo XIV. anno Laribus eam suspendebant. Persius Sat. 5.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Tunc verò depositâ prætextâ togam virilem, puram, sive liberam ante eosdem Lares sumebant; si credendum Propertio lib. 4. el. 1.

Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumpta toga.

Huic Bullæ aureæ inscriptum est Catuli nomen, fortè Q. Luctatij, qui

N 2 Collega

Collega C. Marij in quarto ejus Consulatu anno ab Urbe condita DCLII. cum eo apud Aquas Sextias in Gallia Cimbros fudit, Cimbricique triumphi particeps fuit: deinde ab eodem Mario propter civiles dissensiones mori jussus, accensis carbonibus ore, ut Porcia Bruti conjux, haustis se suffocavit; vel multo igni percalfacto cubiculo recenti calce illito se inclusum peremit, ut narrat Valerius Maximus lib. 9. cap. 12. Scribit verò D. Augustinus lib. 3. de Civit. Dei cap. 27. Catulum hausto veneno manibus inimicorum se substraxisse. Fuit autem adeò nobilis Q. Catuli prosapia, ut Ser. Sulpicius Galba, qui Neroni successit in Imperio, statuarum titulis PRONEPOTEM Q. CATVLI CAPITOLINI semper adscripserit. Suetonius in Galba cap. 2. Hæc Bulla aurea extat in celeberrimo museo Emin. Cardinalis Chigij dignissimi Nepotis sanctæ memoriæ Alexandri PP. VII. Principis Litteratorum Fautoris, in omni scientiarum genere, ut & in antiqua historia versatissimi: solebat enim Summus ille Pontifex, cùm ab onerosa gravissimarum rerum cura jucundo & utili otio aliquantulum cuperet sublevari, ad rei antiquariæ studium tamquam in hortum amænissimum divertere, plurimosque non dedignabatur penes se habere rarissimos maximi moduli nummos, qui nunc in nobilissima ejus pariter Nepotis Excell. Augustini Chigij Farnesiorum Principis gaza custodiuntur.

7 1. 2. Sequuntur duæ aliæ Bullæ, parvulæ quidem, & æreæ, sed propterea non contemnendæ: utraque, ut præcedens, intus vacua est, includendis iisdem remedijs apta; prior caput Palladis sculptum exhibet, quę Dea ingenijs præesse dicebatur. Ovidius lib. 3. Fastor.

Pallada nunc pueri, teneræque ornate puellæ,
Qui bene placuerit Pallada, doctus erit.

Altera quoddam phallum videtur referre, quo fascinatio credebatur averruncari. De phallis Sect. II. in Baccho.

3. Armillæ erant ornamenta aurea, vel argentea in circuli modum efformata, quæ viri militares ab Imperatoribus donata gerebant: dictæ autem armillæ ab armis, teste Festo, *quòd antiqui humeros cum brachijs armos vocabant, unde arma ab his dependentia sunt vocata.* Armillas sinistro brachio gestari solitas docet Livius lib. 1. *Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo habuerunt.* Illas civibus tantùm, non autem externis, donatas legitur apud Plinium lib. 33. cap. 2. Mulieres etiam eas gestasse docet Festus. *Armillæ genus, quod mulieres gestare solebant in brachio sinistro.* Sic etiam Plinius lib. cit. cap. 3. de usu auri in mulieribus. *Habeant fœminæ in armillis, digitisque totis, collo, auribus, spiris, &c.* Earum imaginem hic damus descrip-

deſcriptam ex antiqua argentea, quæ in muſeo Jo. Petri Bellorij aſſervatur.

4. Duo fibularum genera recenſentur: una erat inſtar annuli, quę Adoleſcentulorum, & Cantorum pudendis adhibebatur; illis quidem ne puerilis ætas Veneris uſu in virilitatem citiùs præcipitaretur, teſte Plinio lib. 33. cap. 12. his verò ne vox coitu aſperior, deteriorque fieret. Juvenalis Sat. 6.

Solvitur his magno Comœdi fibula, ſunt quæ
Chryſogonum cantare vetent.

Utrique autem infibulabantur filo quodam tum æneo, tum argenteo, præputio ſive cuticulâ glandis velamine trajecto. Altera veſtiaria, cujus hìc exhibemur imaginem, oblonga in modum arcus efformata acu nervi figuram exprimente, quâ chlamydes, palliaque aperta tunicæ injici ſolita, ne humeris defluerent, nectebantur; qualis in marmoribus, nummiſque antiquis obſervatur, & de qua Ovidius lib. 14. Metam. Picum in avem converſum deſcribens.

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem,
Fibula, quod fuerat, veſtemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro:

Scribit Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 29. Aurelianum Imperatorem gregarijs militibus; ut per omne tempus militiæ fibulas haberent aureas, privilegium dediſſe. Aurea pulcherrima extat hic Romæ apud Illuſtriſs. Marchionem Raggium, cui inſcripta ſunt hæc verba, IVLIANE VIVAS, fortè ab hoc Imperatore alicui militi donata.

5. Antiquitus apud Romanos annulus ferreus bellicæ virtutis erat inſigne: ætate verò D. Auguſti, illoque decurias ordinante majorem judicum partem in annulo ferreo fuiſſe ſcribit Plinius lib. 33. cap. 1. Annuli etiam diſtinguebant Equites à plebe, cui annulorum aureorum uſus interdictus erat. De illorum origine, ac dignitate diſſerere mei non eſt propoſiti: dicam ſolummodo veteres geſtaſſe Deos in annulis ſculptos, ut & amuleta, Idola Aegyptia, Serapidem, Iſidem, Harpocratem, Canopum, &c. quem morem non in fœminis tantùm, ſed & in viris Plinius vituperat. Unum ferreum hìc exhibemus cum Serapidis imagine extantem apud Jo. Petrum Bellorium, qui ad hunc Plinij locum lib. 33. cap. 3. illuſtrandum mirè facit. *Jam verò etiam Harpocratem, ſtatuaſque Aegyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.*

6. Multæ Claves antiquæ in muſeis obſervantur, ex quibus unam ſelegimus parvulam, & ejus planè formæ, quam hìc damus. Clavium cuſtodiam penes ſervos fuiſſe teſtatur Seneca lib. 2. de ira cap. 25.

cap. 25. *Quid enim est*, inquit, *cur tussis alicujus*, *aut sternutamentum*, *aut musca parum curiosè fugata nos in rabiem agat*, *aut versus calix*, *aut clavis negligentis servi manibus elapsa*. Etenim januæ, cellæ, arcæ, bibliothecæ, vestimenta, omniaque domus supellectilia servorum curæ commissa erant, quæ omnia à Janitoribus, Cellarijs, Arcarijs, Libertis à studijs, vestiarijs, & supellecticarijs seris, & clavibus cohibebantur. Carcerum Janitores Clavicularios appellatos fuisse scribit Cuiacius lib. 10. Cod. tit. 65.

8 1. Hæc Tessera Paganica Tolentini urbis, & coloniæ Piceni; quæ nunc etiam *Tolentino* vocatur in Marchia Anconitana, ab Ill: I. Philippo Tomassino Aemoniensi Præsule sub finem libri, quem de Tesseris hospitalitatis edidit, ut & à CL. V. Jacobo Sponio in Miscell. sect. 9. fol. 301. descripta est, mutila quidem apud hunc, apud illum errata, sed ab utroque absque figura exhibita. Illa primùm Fulginij extabat in museo Ludovici Jacobelli; cimeliarchio deinde Cardinalis de Maximis accessit; nunc verò apud Joannem Petrum Bellorium asservatur, ubi eam & delineavi, & exscripsi. Tabula est ænea hac delineatâ imagine paulò grandior, cui superstat dimidia muliebris figura numen placaturum, vel potiùs urbis Genium repræsentans; ad cujus fortè sedendam iram, vel implorandùm auxilium ob aliquod grave imminens periculum L. Veratius hostias lustrales, æreamque tabulam voti memoriam referentem in aliquo templo affigendam Paganis Tolentini municipij libens dono dedit.

2. En alia Tessera quadrilatera ex osse alicui Gladiatori rude jam donato concessa, ut spectaculis, ludisve interesse posset spectandi gratiâ, non autem pugnandi: huic enim servile nomen inscriptum est, tempusque ludi M. Sileno, & L. Norbano Coss. celebrati, quem Fructus Sexti Kal. Februar. spectavit.

3. Hæc Tessera eburnea duobus piscibus signata convivalis erat, cujus meminit Lampridius in Elagabalo his verbis. *Sortes sanè convivales scriptas in cochlearibus habuit tales*, *ut alius exhiberet decem camelos*, *alius decem muscas*, *alius decem libras auri*, *alius decem plumbi*, *alius decem struthiones*, *alius decem ova pullina*, *ut veræ sortes essent*, *&* *fata tentarentur*: *quod quidem & ludis suis exhibuit*, *quum & ursos decem*, *& decem glires*, *& decem lactucas*, *& decem auri libras in sorte habuit*. Livius etiam lib. 9. de quadam convivali tessera mentionem facit, quâ ostensâ milites ad prandium admittebantur. *Consul extemplo tesseram dari jubet*, *ut prandeat miles*.

4. Tesseræ lusoriæ erant oscilla sex laterum æqualium quibusdam punctis distincta, quæ jaciebantur talorum instar, de quibus Julius

lius Capitolinus in Aelio Vero. *Post convivium lusum est tesseris usque ad lucem.* De illis loquitur etiam Cicero lib.1. de Divin. *Quid est enim sors? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas & casus, non ratio & consilium valet.* Tesseras alias eburneas nostris similes, viridique encausto illitas vidi apud Joannem Petrum Bellorium; sed illa in eodem museo asservata his multò grandior est, habetque foramen rotundum in ea parte, quæ quatuor punctis signata est, ut videre liquet in hac imagine magnitudinem ejus, formamque referente. Plura de Tesseris forent dicenda, sed cùm erudit. Vir Illustriss. Raphaël Fabrettus librum de Tesseris, ponderibus, alijsque miscellaneis quamprimùm editurus sit, ubi multa de suo proprio museo vulgabit; ea tantùm hìc exposui, quę delineatarum imaginum explicationem juvare possunt.

1. Stylus instrumentum ferreum, cujus mucrone antiquitus in cereis pugillaribus scribebatur, teste Plinio lib.34. cap.14. *Stylo scribere institutum est, ut vetustissimi authores prodiderunt.* Ejusdem verò planitie scriptum abradebatur, ut innuit D.Hieronymus ad Domnionem. *Stultus ego, qui me putaverim hæc absque philosophicis scire non posse, qui meliorem styli partem eam legerim, quæ deleret, quam quæ scriberet.* Stylus recondebatur in thecam graphiarium appellatam, de quo Martialis lib.14. ep.19. 9

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leve munus erit.

Pugillares autem, in quibus ducto per ceram stylo scribebatur, erant tabellæ ex citro, seu buxo, vel ebore confectæ, quibus cera colorata superinducebatur. Ovidius lib. 1. Amor. el. 12.

Ite hinc, difficiles funebria ligna tabellæ:
Tuque negaturis cera referta notis.
Quam puto de longæ collectam flore cicutæ,
Melle sub infami Corsica misit Apis.
At, tamquam minio, penitus medicata rubebas;
Ille color verè sanguinolentus erat.

Fiebant etiam ex membranis, ut docet Martialis libro citato ep. 5.

Esse putes ceras, licet hæc membrana vocetur;
Delebis, quoties scripta novare voles.

Varijs nominibus appellatos fuisse Pugillares, Duplices nempe, Triplices, Quintuplices scribit idem Poëta in principio libri supradicti.

2. Strigiles sic dictæ à stringendo seu radendo erant instrumenta quædam curva ex ferro, argento, vel auro, & aliquando ex hebeno, quibus veteres utebantur ad radendas sordes corporis post balnea, sudo-

ſudoremque abſtergendum. Perſius Sat. 5.

I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

Illæ ſæpe ungebantur, ut minùs læderent: ſcribit enim Suetonius in Aug. cap. 80. hunc Imperatorem callos quosdam habuiſſe per pectus, atque alvum ex aſſiduo, & vehementi ſtrigilis uſu plurifariam concretos ad impetiginis formam. Oleum autem conſervabatur in gutto (3) ſeu ampulla illud guttatim fundente. De ſtrigilibus inunctis & gutto loquitur Juvenalis Sat. 3.

. . . . . . Domus interea ſecura patellas
Jam lavat, & buccâ foculum excitat, & ſonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.

10 Antiquitus mos erat mulieres pretio conducere in funeribus mortuum ubertim deflentes, lachrymasque reponentes in vaſculis, ſive phialis vitreis, quæ deinde cum oſſibus, cineribusque adhuc calentibus, necnon odoribus ſimul in urna claudebantur: unde hæc dicendi formula in antiquis lapidibus ſæpe inſculpta, CVM LACRYMIS POSVERE. Quinque phialas lacrymatorias hìc exhibemus, quarum media ſcalptum habet in fundo Mercurium cum petaſo, & talaribus alatis, caduceum geſtantem. Hic Deus apud Lucianum in mortuorum dialogis paſſim introducitur animas eorum, qui è vita exceſſerunt, ad inferos deducens. Eadem narrat de illo Pauſanias in Arcad. ut & Petronius Arbiter Satyr. cap. 100. *Mercurius, qui animas ducere, & reducere ſolet.* Sic etiam Virgilius lib.4. Æneid.

Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit:
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Ex quibus liquet repoſitas fuiſſe in iſtis phialis Præficæ, aliarumque mulierum pretio deflentium lacrymas, mortuique cadaver ſive ad rogum, ſive ad ſepulturam cum uberrimo fletu comitantium. De illis Lucillius Sat. 2.

. . . . Mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere Præficæ.

ARTICULUS TERTIUS.

Manus æneæ vota referentes.

11 HÆc manus ænea, cujus magnitudo, diverſaque ſigna hieroglyphica hìc exhibentur, in celebri muſeo Jo. Petri Bellorij

aſſervata

asservata votum quoddam pro salute prolis à conjuge susceptæ Serapidi solutum repræsentat. Sed à quonam? prorsus ignoratur: etenim in ea nulla extat nominis mentio; licet tamen ex artificis industria, votique nobilitate conjectare eam ab aliquo & opibus, & ingenio pollente Romano forsan, etiamsi Aegyptiorum numini consecratam, cùm in Urbe cunctæ populorum subactorum religiones reciperentur, & maximè Aegyptiorum, qui doctiores, & sapientiores habebantur. *Hæc tamen Aegyptia quondam, nunc & sacra Romana sunt.* Ait Minutius Felix in Octav. Quidquid sit hanc manum Serapidi ex ejusdem numinis imagine dicatam fuisse constat, & fortè Deûm Matri Isidi, sive rerum naturæ parenti, cujus in pompa manus præferebatur, ut narrat Apulejus lib.11. Metamorph. forsan quòd hæc Dea manum sacram in pompa ostentasset. Votum autem pro masculina sobole solutum indicat manus dextra, siquidem illa masculæ virtutis symbolum est. Nunc ad obscuriora, & primùm ad interiorem manus partem deveniendum. Illa tres digitos pollicem, indicem, & medium elevatos, reliquos duos annularem, & minimum contractos ostendit, eo modo; quo Veteres significabant verba se velle facere ad populum. Apulejus lib. 2. Metamorph. *Ac sic aggeratis in cumulum stragulis, & effultus in cubitum, subrectusque in torum porrigit dexteram, & adinstar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis cæteros eminentes porrigit, & infesto pollice clementer subrigens infit.* Qui gestus est etiam Episcoporum populum benedicentium. Indici, & medio subjecta est imago Serapidis, sive Osiridis, quem Æsculapium à quibusdam vocatum scribit Tacitus lib.4. Hist.cap.84. ut diximus Sect.II. in explicatione imagunculæ Aesculapium cum modio in capite repræsentantis. Accipiebatur etiam Serapis pro Sole, teste Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 20. cui medendi potestas ideò attribuebatur, *quia temperatus Solis calor morborum omnium fuga est*, inquit idem Macrobius subjungens Apollinem, qui idem est cum Sole, aspellentem mala intelligendum esse: unde non mirum est, si votum pro salute pueri Aesculapio, Soli, & Apollini, sub Serapidis imagine solvitur. Infans in amplexu matris talari veste obtectæ, ut decebat pudica matrona, in lectulo decumbentis in ima parte cernitur: adstat Ibis symbolum Lunaris Genij, & præsidis in humidum elementum, per quam Aegyptij Lunarem vim solebant designare; Isidi sive Lunæ sacra, ad cujus rationem eam ova fingere scribit Aelianus totidem videlicet diebus, quot crescit, & decrescit. Sic etiam per Scarabæum Solem indicabant, ut docet Porphyrius apud Eusebium lib. 3. Præp. ev. cap. 3. Κανθάρου δὲ ἀμαθὴς μὲν βδελυχθείη ἂν ἀγνώμων ὑπάρχων τῶν θείων.

τῶν θείων. Αἰγύπτιοι δὲ ἐσέφθησαν, ὡς εἰκόνα Ἡλίου ἔμψυχον. κάνθαρος γὰρ πᾶς ἄρρην, καὶ ἀφιεὶς τὸν θορὸν ἐν τέλματι, καὶ ποιήσας σφαιροειδῆ, τοῖς ὀπισθίοις ἀνταναφέρει ποσὶν, ὡς Ἥλιος οὐρανὸν, καὶ περίοδον ἡμερῶν ἐκδέχεται Σεληνιακήν. *Jam vero Scarabæum*, inquit, *ſtultus forte quiſpiam deteſtetur, utpote divinis in rebus hoſpes, & peregrinus: at hunc Aegyptij quaſi vivam, ac ſpirantem Solis imaginem venerari ſolent. Nam & Scarabæus omnis mas eſt, & ſemen in paludem immiſſum, ac ſphæricam in figuram conformatum poſtremis pedibus in averſam partem convolvit, Solis in cælo motum æmulatus, integramq; Lunæ dierum converſionem expectat.* Mirabiles enim hujus inſecti operationes Solaribus ſimiles apparent, de quibus erudite loquitur Ruellius lib. 2. de ſtirp. his verbis. *Quin & Scarabæus omnis cognitum animal totidem digitis, aut potiùs pedibus innititur, quot diebus menſis conſtat, in quibus exoriens Sol ſuos proſequitur curſus: is Solis & Lunæ coitum nobis apertè demonſtrat; quandoquidem è bubulo ſtercore pilulam ab ortu ad occaſum rotando verſans in orbis imaginem effingit, quem in viginti & octo diebus facto humi ſcrobulo adobruens tantisper cælat, dum ſigniferum ambiens Luna ad intermenſtruum revertens ſileat, aperto tum orbiculo novam prolem edit; nec aliam naſcendi novit originem.* Et ſic per Scarabæum nil aliud indicatur, niſi maſcula quædam virtus Solis, quem veteres mundi animam, rerumque ſatorem appellabant; & de quo, ut ſcribit Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. cap. 6. vitam omnia mutuantur. Unde ſicut Oſiridem cenſebant eſſe virtutem quamdam generativam, ita & Iſidem vim naturæ fœmininam totius ſuſceptricem generationis. Etenim Sole, & Lunâ præcipuè vita noſtra moderatur, teſte eodem Macrobio lib. cit. cap. 20. & utriusque luminis beneficio hæc nobis conſtat vita, quâ fruimur. *Sol* (inquit ille lib. 1. Sat. cap. 19.) *auctor ſpiritus caloris ac luminis, humanæ vitæ genitor & cuſtos eſt: & ideò naſcentis dæmon, ideſt, Deus creditur: Luna* τύχη, *quia corporum præſul eſt, quæ fortuitorum varietate jactantur.* Scribit Firmicus Maternus lib. 2. Matheſ. omnem ſubſtantiam corporis humani ad poteſtatem Lunaris numinis pertinere; unde dux naſcentium vocabatur, & à parientibus ſolebat invocari. Quoniam tamen illa non prodeſt ſine Solis aſpectu: hinc Scarabæus in media manu poſitus eſt, in ima verò parte Ibis Lunam indicans, quæ virtute, & calore Solis fota cum eo ad generationem rerum omnium perficiendam concurrit; horum enim aſtrorum influxu tota natura ſuſtinetur, ſicque per Scarabæum & Ibin pueruli generatio videtur innui. Scarabæus etiam, ut favorabile amuletum, animi fortitudinem deſignabat; Ibis verò vim quamdam malorum averruncativam, eratque Aegyptijs ſalubritatis

ſymbo-

ſymbolum, & augurium, quoniam clyſterem, qui apud eos in frequentiſſimo uſu erat, reperiſſe putabatur. Per menſam ſive tripodem Serapidis imagini ſubjectum, & dolabram vel gladium in pollice voventium ſacrificia pro ſalute pueruli deſignantur: gladius ad ſacra Mythræ, qui idem erat cum Serapide & Sole, poteſt etiam referri; & fortè pueri pater mythriacis ſacris initiatus, ſictumque & mimicum paſſus martyrium idem augurabatur filio; de hoc ſimulato martyrio conſule Tertullianum lib. de Cor. Milit. & lib. de Præſcript. Diogenem gladio verba comparaviſſe narrat Valerianus lib. 42. ille ſymbolum erat eloquentiæ & principatus, quæ bona puerulo ominabantur; ut & ſapientię & divinationis ſcientia per tripodem ſignificata; tripus enim Apollini ſacer erat, & aureus videbatur in aditu templi Apollinis Delphici, de quo mentionem facit Herodotus in Calliop. Mors etiam gladio indicabatur, infanti forſan diuturno morbo minitata, ſed à qua Deorum ope ſacrificijs per tripodem deſignatis propitiatorum liberatus erat. Altera manus facies plura refert ſigna hiero- 12
glyphica; & primùm Rana occurrit in medio digito poſita, quæ ſine pedibus naſcitur, pedesq; deinde poſteriores aſſumit, teſte Horo lib. 2. Infans, qui tum ætate nimium tenerâ, tum vi morbi impeditus ſe movere non potuerat, convaleſcens paulatim incepit progredi. Crocodilus autem in media manu repens, animal perſpicaciſſimum, & linguæ uſu carens, ſi fides Plinio lib. 8. cap. 25. ſilentium ſapientibus Deæque Iſidi gratum, ac quamdam in rebus providentiam puero fortè ominatur. Scribit Valerianus lib. 29. Crocodilo tergus monſtrante hominem invictum ſignificari, propterea quòd ille adeo ſit supernè corticoſus, ut contra omnem ictum invictus habeatur. Puerum tandem amiſſam ſalutem recuperaſſe Serpens ſolitus Aeſculapij typus denotat: illi enim, qui medicinâ utuntur, velut infirmitatis pelle depoſitâ renovantur ut Serpentes; narrat Plinius lib. 29. cap. 24. Serpenti multa ineſſe rimedia, unde ille in antiquis numismatibus ſalutis ſymbolum eſt. Menſe verò Septembri puerulum convaluiſſe ex Libra conijcitur, quo tempore dies noctesque ęqualiter procedunt. Virgilius lib. 1. Georgic.

Libra diei ſomnique pares ubi fecerit horas.

Et quidem in ſeptimo infirmitatis menſe, manum enim in hunc modum compoſitam indicare numerum ducenteſimum docet Valerianus. At teſtudinis exemplo animalis tardè incedentis, domoque numquam egredientis infans paulatim quidem pedibus uſus eſt, ſed ob debilitatem ex morbo contractam domi diutiùs manere coactus fuit. Votum Serapidi, & Iſidi ſolutum denotat urnula in utriusque ſacris adhiberi

 ſolita,

solita, siquidem illam in hujus Deæ pompa illatam refert Apulejus lib. 11. Metam. cymbij ansati mentionem faciens. Urna etiam Osiridi sacrata erat, utpote humidæ naturæ Domino. Plutarchus de Is. & Os. Καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. *Et ante sacra in pompa semper præcedit vas aquarium in honorem Dei.*

13 Sequitur altera manus ænea extans in nobilissima pinacotheca Barberina: illa duplò grandior circiter est, quàm hæc imago; sed præcedente, quam exposuimus, eò pretiosior, quòd in ea plura signa hieroglyphica continentur, voventisque nomen patet ex inscriptione CECROPIVS. V. C. VOTVM. S. *Cecropius voti compos votum solvit.* Quisnam fuerit Cecropius ille, nil apud Scriptores reperitur; forsan à Cecropide Atheniensium Rege, seu potiùs à Tribu ejusdem nominis, ex qua oriundus erat, hanc traxit denominationem. Votum autem pro salute pueruli factum hæc manus dextra haud dubiè repræsentat: illa digitos eo modo compositos habet, quo jam in præcedentis explicatione diximus, & quia tædiosum esset eadem repetere, ad alia progrediamur. In imo partis manus interioris exhibetur puer in amplexu matris stolatæ more pudicarum matronarum, in lectulo decumbentis, pro cujus salute hoc votum Ammoni salutari Genio, Isidi rerum naturæ parenti, & salutis auctori Æsculapio factum fuisse videntur indicare caput arietinum, nux pinea, & Serpens sive Draco manum ambiens. Ammon fœcunditatis, & generationis Genius habebatur apud Ægyptios, qui ab eo vitam rerum omnium fœcundam, cælorumque benignitatem concedi putabant: hinc illius nomen tamquam favorabile amuletum laminis incisum, & pectori affixum gerebant, tantùmque huic nomini tribuebant, ut solâ illius invocatione magnis bonis se repleri crederent; ut docet Kircherius lib. 5. Obel. Pamphil. fol. 494. Hæc superstitio viguit etiam apud Romanos, qui Ammonem naturæ conservatorem existimabant, ut legitur in Salonini nummo Arietem exhibente cum hac epigraphe. AMMONI CONSERVATORI. Nux pinea Deûm matri Isidi propria fuit. *Quid sibi vult illa pinus* (inquit Arnobius lib. 5. adv. Gentes) *quam semper statis diebus in Deûm matris intromittis sanctuario? nonne illius similitudo est arboris, sub qua sibi furens manus & infelix adulescentulus intulit, & genitrix Divûm in solatium sui vulneris consecravit.* Huic Deæ non modo puerorum tutela, sed & valetudinis cura adscripta fuit, teste Diodoro lib. 1. cujus hæc sunt verba. Φασὶ δ' Αἰγύπτιοι τὴν Ἶσιν φαρμάκων τε πολλῶν πρὸς ὑγείαν εὑρέτιν γεγονέναι, τὸ σύνολον πολλὰ μηχανήσασθαι. διὸ καὶ νῦν τυχοῦσαν ἀθανασίας, ἐπὶ ταῖς θεραπείαις τῶν ἀνθρώπων μάλιστα χαίρειν, καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους τοῖς ἀξιοῦσι διδόναι βοηθήματα, φανερῶς ἐπιδεικνυμένην

τήν τε

τήν τε ἰδίαν ἐπιφάνειαν, καὶ τὸ πρὸς τοὺς δεομένους τῶν ἀνθρώπων εὐεργετικόν. *Isin multa sanitati hominum pharmaca invenisse Aegyptij tradunt, utpote quæ scientiæ medicæ fuerit peritissima, adeóque multa solerter excogitasse. Quam ob causam nunc quoque ad immortalitatem elata, sanatione hominum maximè gaudeat; & in somnis, si quis opem expetierit, manifestam numinis præsentiam, promptamque indigentibus bene merendi facultatem exhibeat.* Et paucis interjectis. Κατὰ γὰρ τοὺς ὕπνους ἐφισταμένην διδόναι τοῖς κάμνουσι βοηθήματα πρὸς τὰς νόσους, καὶ τοὺς ὑπακούσαντας αὐτῇ, παραδόξως ὑγιάζεσθαι, καὶ πολλοὺς μὲν ὑπὸ τῶν ἰατρῶν διὰ τὴν δυσκολίαν τοῦ νοσήματος ἀπελπισθέντας, ὑπὸ ταύτης σώζεσθαι, συχνοὺς δὲ παντελῶς πηρωθέντας τὰς ὁράσεις ἤ τινα τῶν ἄλλων μερῶν τοῦ σώματος, ὅταν πρὸς ταύτην τὴν θεὸν καταφύγωσιν, εἰς τὴν προϋπάρξασαν ἀποκαθίστασθαι τάξιν. εὑρεῖν δ᾽ αὐτὴν καὶ τὸ τῆς ἀθανασίας φάρμακον, &c. *In somnis enim adsistentem ægrotis remedia contra morbos subijcere, eique morigerantes nec opinato convalescere. Multos etiam à Medicis propter morbi difficultatem desperatos ab hac salutem accipere, plurimosque oculis prorsus captos, aut aliâ corporis parte mutilatos, si ad Deæ hujus opem confugerint, in pristini vigoris integritatem restitui. Invenit illa immortalitatis pharmacum, &c.* Æsculapio quoque ut salutis authori sacratum fuisse hoc donarium indicat Serpens manum ambiens, solitus hujus Dei typus, de quo multis in locis egimus, & diffusè loquitur Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 20. Triplex etiam infirmitatis pueruli status præmissis tribus hieroglyphicis fortè designatur. Nux pinea in apice pollicis principium fuisse lethale videtur innuere; fertur enim pinum semel amputatam nova germina numquam emittere. Sole deinde Arietem ingrediente morbus declinavit; Ammon etenim omnium saluti credebatur prospicere. Serpente verò felix morbi exitus optimè indicatur: siquidem convalescentes infirmitatis pellem exuere dicuntur, novamque induere ut Serpentes. Folium ficus in pollice positum arboris omnium plantarum succi plenissimæ ob humoris copiam symbolum irrigationis, & fetationis perhibebatur apud Ægyptios, teste Plutarcho lib.6. Sympos. quæst. 10. & maximè in opusculo de Is. & Osir. vbi hæc scribit. Οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Ὀσίριδος ἀπορροὴν καλοῦσι. καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. καὶ θρίῳ βασιλέα καὶ τὸ νότιον κλίμα τοῦ κόσμου γράφουσι, καὶ μεθερμηνεύεται τὸ θρῖον ποτισμὸς καὶ κίνησις πάντων, καὶ δοκεῖ γεννητικῷ μορίῳ τὴν φύσιν ἐοικέναι. *Non solum autem Nilum, sed omnem simpliciter humorem defluxum Osiridis vocant: & ante sacra in pompa semper præcedit vas aquarium in honorem Dei, & ficus folio regem, ac meridionale mundi clima pingunt, interpretanturque folium ficus irrigationem, & fetationem om-*

nium, videturque naturâ ſimile genitali membro. Ficum apud Athenienſes ſacram appellatam fuiſſe docet idem Plutarch. lib. 7. Sympoſ. quæſt. 4. & fortè Cecropius ex tribu Athenienſi oriundus eamdem pro hac arbore venerationem conſervaverat. Ficus alba ex felicibus arboribus habebatur, ſi fides Macrobio lib. 3. Saturn. cap. 20. Per Tripodem Suidas ſignificari dicit triplicem temporis præteriti; præſentis, & futuri differentiam Soli rerum omnium moderatori convenientem, quem Ammonem exiſtimatũ fuiſſe refert idem Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 21. Tripus etiam Apollini dicatus & ſapientiam, & divinationem denotat. Cymbium anſatum in pompa Iſidis illatum memorat Apulejus lib. 11. Metam. Urna quoque Oſiridi, ſive Serapidi ſacrata erat, utpote humidæ naturæ Domino, unde in ejus ſacris ſemper ferebatur vas aquarium, ut diximus; Serapidem autem, & Jovem, qui ipſiſſimus eſt cum Ammone, eumdem eſſe declarat Apollinis oraculum apud Julianum Imperatorem Orat. 4.

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιός ἐστι Σάραπις

Unus Jupiter, unus Pluto, unus Sol eſt Serapis.

Meminit Apulejus in ſupradicta Iſidis pompa alterius *vaſculi* huic ſimilis, quod exhibetur in hac imagine, *in modum papillæ rotundati, de quo lacte libabant*, quod ſymbolum videtur fuiſſe fœcunditatis Niloticæ. Simpulum refert aliud tertium vaſculum, quod Feſtus deſcribit, *vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificijs libabatur*;
14 & ſimile ſæpius in muſeis obſervari diximus Sect. III. In exteriori manus parte quædam exhibentur ſigna, veluti Crocodilus, Rana, Teſtudo, & Libra, de quibus in præcedentis manus expoſitione pro ingenij noſtri modulo egimus; unde nunc ſupereſt, ut ad reliqua procedamus. Anguis, vel potiùs Vermis oculis, ut videtur, orbatus in digito indice primus occurrit, qui fortè puerum vexans, ejus morbi cauſa fuit. Flagrum in ſacris Iſidis uſurpatum ſcribit Apulejus lib. 8. Metam. Erat etiam illud dominationis ſymbolum apud veteres, teſte Suetonio in Aug. cap. 94. Ciceronis ſomnium referente his verbis. *M. Cicero C. Cæſarem in Capitolium proſecutus, ſomnium priſtinæ noctis familiaribus fortè narrabat: puerum facie liberali, demiſſum cælo catenâ aureâ, ad fores Capitolij conſtitiſſe, eique Jovem flagellum tradidiſſe: deinde repentè Auguſto viſo, quem ignotum adhuc, pleriſque avunculus Cæſar ad ſacrificandum acciverat, affirmavit ipſum eſſe, cujus imago ſecundum quietem ſibi obverſata ſit*. Poteſt etiam flagrum referri ad lupercalia in luco Junonis, quæ eadem credebatur Iſis, ſub monte Exquilio XV. Calen. Martij celebrari ſolita, ubi novæ nuptæ palmas Sacerdotibus Lupercalibus verberandas offerebant, exiſtimantes

tes talia verbera fœcunditatem afferre. Ovidius lib. 2. Fastor.

Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ,
Jam socer optati nomen habebit avi.

Terga quoque verberanda præbuisse docet idem Poëta lib. cit.

Ille caprum mactat; jussæ sua terga maritæ
Pellibus exsectis percutienda dabant.

Quod innuit etiam Plutarchus in Romulo. Αἱ δὲ ἐν ἡλικίᾳ γυναῖκες οὐ φεύγουσι τὸ παίεσθαι, νομίζουσαι πρὸς εὐτοκίαν καὶ κύησιν συνεργεῖν. *Mulieres adultæ* (inquit) *non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem, & partum ratæ.* Puerulí mater ad sterilitatem avertendam flagrum hujusmodi forsan exploraverat. Serpens cristatus, sive Draco manum ambiens Æsculapio salutis numini sacer habebatur, siquidem, teste Eusebio lib. 1. Præp. Ev. cap. 7. Philonis ex Sanchuniatone verba referente, Taautes Draconis, Serpentumque naturæ aliquam tribuebat divinitatem, & apud Phœnices, & Ægyptios hoc animantium genus in sacris mysterijs adhibebatur, salutis corporis, & animæ ferens symbolum, ut tradit idem Eusebius lib. 3. cap. 3. Enimverò cætera reptilia crassioris & terrestris substantiæ sunt; Serpens verò spiritalissimum est animal, vi & copiâ spiritus abundans, igneam naturam habens, maximamque præ se ferens celeritatem; cùm neque pedum, neque manuum, neque alterius exterioris membri adminiculum habeat. Præterea diuturnæ admodum vitæ est, corporis enim imbecillitatem non solùm exuit, verùm etiam majora corporis, & virium accipit incrementa, & nisi vi quadam percussum fuerit, morte naturali minimè extinguitur, nam ad reviviscendum herbam quamdam nosse narratur. Illud Phœnices bonum Dæmonem, Ægyptij verò Cnephum nuncupaverunt. Isidi quoque Serpentem consecratum docet Ælianus narrans hujus Deæ simulacrum quodam Aspidum diademate coronatum ab Aegyptijs effingi, Serpentemque in ejus pompa ferri solitum. Per cornucopiæ frugibus, & fructibus refertum fœlicitas, & abundantia; per caduceum prudentia, & eloquentia, pax, & concordia, ac in negotijs gerendis sagacitas puerulo fortè ominabantur: etenim cornucopiæ, & caduceus harum rerum indicia sunt; sic in æreo Vitellij nummo exhibetur duplex cornucopiæ caduceo intermedio pacem, & concordiam, omniumque rerum abundantiam ex adventu Imperatoris proventuras indicans. Pertinet etiam caduceus ad hominum genituram, teste Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 19. *Argumentum caducei ad genituram quoque hominum, quæ Genesis appellatur,*

tur, *Aegyptij protendunt*. Mercurialem caduceum à tertio sacrorum Antistite in pompa Isidis illatum recenset Apulejus lib. 11. Metam. sic etiam thyrsos, & hederas in Osiridis solemnitatibus memorat. *Nam proximâ nocte*, ait, *vidi quemdam de sacratis linteis intectum, qui thyrsos, & hederas, & tacenda quædam gerens ad ipsos meos Lares collocaret*. Osiris idem habebatur cum Dionysio, sive Baccho, & apud Aegyptios hedera Osiridis planta vocabatur. Tibiæ in sacris Aegyptiacis usitatæ meminit idem Apulejus lib. cit. *Symphoniæ dehinc suaves, fistulæ, tibiæque modulis dulcissimis personabant*. (Et mox) *Ibant & dicati magno Serapidi Tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram, familiarem templi, Deique modulum frequentabant*. Tibia sacris peragendis dicata parentum vota pro salute pueruli soluta videtur innuere, siquidem in Matris Deûm, sive Isidis solemnitatibus tibiam sonari solitam scribunt Seneca in Agamemn. vers. 686. & Sidon Apollinaris Carm. 9. vers. 202. Sic etiam Ovidius lib. 4. Fastor.

Protinus inflexo Berecynthia Tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.

Tibias in sacrificijs, sacrisque peragendis fortè ad iratos Deorum animos demulcendos (ut loquitur Arnobius lib. 7. advers. Gent.) usurpatas fuisse patet ex antiquis nummis, & toreumatibus sacrificia exhibentibus, necnon inscriptionibus apud Gruterum pag. 175. & 269. in quibus de Tibicinibus Romanis, eorumque & Fidicinum collegio, qui S. P. P. S. idest, qui *Sacris Publicis Præsto sunt*, mentio reperitur. Tibiæ cantum in curatione morborum introductum fuisse testantur multi authores; sic Democritus apud Gellium in libro, cui titulus est de pestibus, *refert plurimis hominum morbis medicinam fuisse incentiones tibiarum*. Tibicinibus vesci in Capitolio permissum fuisse declarant Censorinus de Die Nat. cap. 12. ubi de musica loquitur, & Livius lib. 9. narrans Tibicines in æde Jovis, ut antiquitus, vesci prohibitos Tibur uno agmine abijsse; deinde verò jis, qui sacris præcinerent, in hac æde jus vescendi restitutum. Ex quibus patet tibiarum cantus tam in sacris Cybeles, sive Isidis, quàm in curatione morborum, cui præerat Aesculapius, adhibitos esse, necnon Tibicines sub tutela, ac præsidio Jovis, qui idem habebatur cum Ammone, latuisse, quibus Dijs hanc votivam manum dicatam demonstravimus. Tibiam autem, & Thyrsum in festis circumferri solitos nil aliud denotasse tradit Kircher. lib. 4. Obel. Pamph. hier. 19. *Nisi plantationem vitis, & musicæ inventionem, hoc est, vitæ liquorem, & harmoniam rebus singulis inexistentem, quâ suprema mens mundum, & quæ in mundo existunt, locupletavit*.

ARTI-

ARTICULUS QUARTUS.

De Signis Militaribus.

ANTIQUITUS signa legionum apud Romanos erant Aquilæ, 15
Lupi, Minotauri, Equi, & Apri, quorum simulacra singulos ordines anteibant: sola deinde Aquila in acie portabatur, cæteris in castris relictis: sed Marius secundo suo Consulatu reliquis in totum abdicatis Aquilam Romanis legionibus propriè dicavit. Author est Plinius lib. 10. cap. 4. Illam summæ hastæ impositam Aquilifer portabat, & erat primum totius legionis signum, teste Vegetio lib. 2. cap. 13. qui hanc legionis divisionem refert. *Legio in decem cohortes divisa est; cohors autem in quinquaginta manipulos; & manipulus rursum in vigintiquinque milites.* Ex quibus liquet singulam cohortem mille ducentorum quinquaginta militum conscriptam fuisse, legionem verò duodecim & quingentorum, cum antea quatuor millium, deinde sex millium & ducentorum tantùm fuisset, si fidès Pompejo. Signa militaria insignia erant cohortium, quæ per ea discernebantur, ut docet Tacitus lib. 1. Ann. ne autem acies turbaretur, militesque à contubernalibus aberrarent; singula cohortium signa quibusdam notis, ac litteris distincta fuisse scribit Vegetius loco cit. Primis Reipublicæ temporibus manipulo fœni, aut alterius herbæ pertici alligato Romani pro signis utebantur. Ovidius lib. 3. Fastor.

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.

Succedentibus verò annis manum vice fœni, aut herbæ, ad manipuli voci fortè alludendum, hastæ imposuerunt, clypeolis totam hastam tegentibus, qui Deorum, & Imperatorum, virorumque Principum imagines referebant, ut legitur apud Suetonium in Calig. cap. 14. narrantem Artabanum Parthorum Regem Aquilas, & signa Romana, Cæsarumque imagines adorasse. Sic etiam Herodianus lib. 8. mortem Maximini à militibus occisi referens. Τάς τε εἰκόνας ἐκ τῶν σημείων καθαιρῶσι, καὶ αὐτὸν σὺν τῷ παιδὶ προελθόντα τῆς σκηνῆς, ὡς δὴ ἄρα διαλέξαιτο αὐτοῖς, οὐκ ἀναχόμενοι ἀναιροῦσι. *Postquam de signis militaribus illius imagines detraxerunt, prodeuntem mox tentorio cum filio, ut ad eos loqueretur (hoc illi non concesso) continuò obtruncant.* Drusi quoque imaginem, ut & ipsius Sejani inter signa fuisse patet ex Tacito lib. 1. Ann. & Suetonio in Tib. cap. 48. Apud Romanos signa militaria in pari veneratione tenebantur ac Deorum simulacra, Tertullianus in Apolog.

Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, signa omnibus Dijs præponit. Illa in rebus lætis, ac festis diebus inungebantur, si credendum Plinio lib. 13. cap. 3. *Aquilæ ac signa pulverulenta illa, & custodijs horrida inunguntur festis diebus.* Eadem floribus decorari scribit Claudianus.

. . . . Mavortia signa rubescunt
Floribus, & subitis armantur frondibus hastæ.

Erant illæ inferiori parte acutæ, ut in terram facilè defigerentur. Virgilius lib. 6. Aeneid.

Stant terræ defixæ hastæ.

Posteriori ævo his signis in totum abdicatis usurpatos fuisse Dracones tradit Vegetius. Aquila pariter Legionaria extat penes Ill. Josephum Felice S. D. N. PP. Prælatum domesticum.

16 Signum Victoriæ alatæ lauream manu gerentis tamquam felix omen in Romanorum acie portabatur, ut apparet in Columna Trajana, varijsque toreumatibus antiquis Victorias huic, quam exhibemus, similes Vexillis impositas referentibus. Istæ imagunculæ forsan erant illæ, quæ vel boni ominis causâ Imperatoribus ad bellum proficiscentibus, vel jisdem ob imperij primitias offerebantur, & de quibus hæc scribit Ammianus Marcellinus lib. 28. *Quâ spe Tripolitani frustrati, formidantesque extrema, adlapso legitimo die Concilij, quod apud eos est annuum, Severum, & Flaccianum creavere Legatos, Victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob Imperij primitias oblaturos.* Hæc Victoriola, quæ pulcherrima, & elegantissima est, summæ hastæ procul dubio imponebatur; & ad hunc effectum, ut conjectare licet, perforata fuit. Asservatur illa in nobilissimo Petri Antonij Rolandi Magnini gazophylacio, quod fuit olim Caroli Magnini ejus patrui rei antiquariæ studiosissimi. Multa in eo præclara, & rara custodiuntur; sed præsertim superbissimæ, & ditissimæ armaturæ, Idola Aegyptia parva quidem ex ære, at ex lapide ad naturalem magnitudinem accedentia, antiquæ Lucernæ, numismata, gemmæ, marmorea exquisitissimi artificij toreumata, eximiorum pictorum tabulæ, aliaque tum antiquæ tum modernæ magnificentiæ monumenta, quæ, summâ Domini comitate & affabilitate, extraneorum admirationi quotidie proponuntur.

17 Vexillum pro quolibet Signorum genere accipiebatur; propriè tamen erat Equitum modicum habens velum quadratum ad hastam in modum crucis expansum, de quo multis in locis Vegetius. Quidam pro Vexillo Labari vocem substituunt, sed absque ullo probabili legitimoque fundamento; siquidem ante inferius ævum nusquam apud

apud antiquos scriptores Labari mentio, ut in suo Vitæ Humanæ Theatro notavit Laurentius Beyerlinck in voce *Labarum*. *Tempore Tertulliani videtur ea vox cognita nondum fuisse; constat autem Constantinum Imperatorem statim à conversione Labarum formasse in signum crucis*. Etenim apud Tertullianum non Labari, sed Vexilli, & Cantabri nomina leguntur: sic in Apolog. cap. 16. *Omnes*, inquit, *imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt: sypara illa Vexillorum, & Cantabrorum stolæ crucium sunt*. Quam sententiam confirmat eruditissimus Baronius Annal. Eccl. to. 1. anno sal. 312. cap. 5. his verbis. *Sed quod ad Labari antiquitatem pertinet, facilius erit in vetustis Imperatorum victoriarum monumentis sculpta oculis spectare Labaro signa similia, quàm ejus nomen apud veteres scriptores ethnicos legere. Cæterùm Vexillorum appellatione illud expressisse, eademque Cantabra etiam nuncupasse, ex iisdem, quos citavimus, Tertulliano, & Minutio manifestum redditur*. Cantabra autem à Cantabris in Hispania populis dicta putat idem Cardinalis, qui hanc differentiam inter Vexilla, Cantabraque, ac Labara fuisse scribit, quòd illorum vela transversæ hastæ sic alligata erant, ut rugas aliquas sui contractione admitterent: at in Labaris sic erant expansa, ut integras in se depictas exhiberent imagines, ut videre licet in plurimis toreumatibus, nummisque antiquis, & maximè in duobus hìc exhibitis, in quorum uno ad Aelium Cæsarem pertinente repræsentatur Pannonia dextrâ Vexillum gerens, sinistrâ stolam sublevans. In altero adversam Constantini nummi partem referente stant duo milites hastati clypeis innixi Labaro intermedio. Præterea in exercitu plura erant Vexilla, Labarum autem nonnisi unum, velum habens ex purpura, auro, gemmisque circumtextum, Imperatoribus solitum præferri, in quo Constantinus characterem hieroglyphicum nomen Domini nostri Jesu Christi significantem inscribi jussit, in memoriam ejus signi eidem bellum contra Maxentium moventi in Cælo apparito cum his verbis. ΙΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ. IN HOC VINCE. Euseb. in Vita Constant. lib. 1. cap. 24.


ARTICULUS QUINTUS.

Expositio antiquæ picturæ Barberinæ in fine primæ Sectionis positæ.

ELEGANS hæc antiqua pictura in nobilissimis ædibus Barberinis asservata jampridem ab erud. vir Jo. Petro Bellorio in libro,


libro, quem *De fragmentis vestigij veteris Romæ ex lapidibus Farnesianis* edidit, vulgata est. Sed quoniam de illa ne minimum quidem verbum protulit, utpote ornamenti tantùm causâ in illo opere posita; nos breviter aliquid de illius expositione hìc delibare proposuimus. Sedet Roma Gentium Domina, galeata, gemmato monili ornata, talari stolâ obtecta, chlamide seu peplo in extrema limbi ora depicto induta, pallio superimposito: dextrâ sceptrum tenet potentiæ symbolum, lævâ unionibus exornatâ Victoriolam alterâ manu globum, alterâ Vexillum, in quo S. P. Q. R. Duæ aliæ Victoriolæ ejus humeris impositæ sunt; ex utraque Sellæ parte duo Cygni, totidemque imagunculæ Castorem, & Pollucem haud dubiè repræsentantes. In parte dextra clypeus topiariâ effigie descriptus. Castor, & Pollux fratres gemini, Jovis in Cygnum transformati ex Leda Tyndari Laconiæ regis uxore filij, tutelaria Romanorum numina crediti fuêre, quibus ædem A. Postumius Dictator bello Latino vovit, extruxitque anno V. C. CCLVII. tali de causa. Cùm Tarquinius ex Urbe ejectus ad Octavium Mamilium Tusculanorum Ducem generum suum confugisset; amboque Latio concitato apud lacum Regillum cum A. Postumio Dictatore magnis viribus confligerent; victoriâ nutante duo primæ lanuginis juvenes Castor, & Pollux Romanarum partium propugnatores, Romanum equitatum candidis equis præcedentes, Latinas copias penitùs fuderunt. Finito prælio ipsimet adolescentes equis sudore madentibus insidentes in Romano foro apparuerunt, ubi multis eos circumdantibus, rogantibusque, ecquid novi ab exercitu afferrent, pugnam, & victoriam indicavêre, foroque egressi numquam posteà comparuerunt, licet per totam Urbem valde quæsiti, ut dignis muneribus honorarentur. Senatus deinde litteris A. Postumij certior factus eos in prælio visos fuisse, verisimili conjecturâ fratres Dioscuros saluti Reipublicæ invigilantes credidit, templumque illis in foro Romano, ubi eorum imagines apparuerunt, construi decrevit. Eosdem narrat Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. P. Vatinio, Reatinæ Præfecturæ viro, Urbem noctu petenti obvios se præbuisse, Persenque Regem à Paullo die, qui prætererat, captum nuntiavisse. Qui plura de illis volet, adeat Livium lib. 1. Dionysium lib. 1. Rom. antiq. Plinium de Viris Illustribus, & Plutarchum in Coriolano.

VAS FICTILE 1



P. S. B. Sculp: Ex ſchedis

VAS FICTILE



Ex ſchedis

VASIS ÆNEI PARS PRIOR 3




In museo Io. Petri Bellorij


VASIS ÆNEI PARS POSTERIOR
4
In museo Io. Petri Bellorij


VAS MARMOREVM 5
P. S. B. sculp.
Ex schedis


BVLLA AVREA 6





P. S. B. Sculp. Apud Em.^{mum} Card. Chigium

1 2 BVLLA 3 ARMILLA 4 FIBVLA 5 ANNVLVS 6 CLAVIS 7














In Museo Io. Petri Bellorij


TESSERÆ

8










TESSERAM·PAGA
NICAM·L·VERA
TIVS·FELICISSI
MVS·PATRONVS
PAGANIS·PAGI
TOLENTINES·HOS
TIAS·LVSTRET·TESSR
AER·EX·VOTO·L·DD·


V·ID·MAS·FELICIT·

In Musæo Io. Petri Bellorij

1. STYLVS 2. STRIGILIS 3. GVTTVS



In Museo Io. Petri Bellorij


PHIALÆ LACHRYMATORIÆ
10
1
3
C M
H R
1. Apud I.P. Bellorium Reliquæ apud Authorem

MANVS ÆNEÆ PARS INTERIOR II




Apud I.P. P.S.B. sculp. *Bellorium*

MANVS ÆNEÆ PARS EXTERIOR 12.




Apud I.P. *P.S.B. Sculp.* *Bellorium*


MANVS ÆNEÆ PARS INTIMA 13
CECROPIVS
In Museo Barberino


MANVS.ÆNEÆ.
PARS.EXTIMA.
14
V·C·VOTVM S
In Museo Barberino


AQVILA LEGIONARIA 15
P. S. B. Sculp.
Apud P. A. Rolandum M.


VICTORIA
16
Apud P. A. Rolandum M.


VEXILLVM EQVITVM
17
TR POT COS II
PAN NO NIA
S C
Ex nummo Ælij Cæsaris
GLORIA EXERCITVS
E·S·I·S·
Ex nummo Constantini
Apud M.A.Causeum
De la Chausse Authorem

DISSERTATIO
DE
MUTINI
SIMULACRIS.

QUONIAM hujus Dissertationis titulus, necnon imagunculæ in illa explicatæ severioribus oculis, aut scrupulosioribus in re antiquaria fortasse parum versatis immodestiores possunt primo intuitu apparere; ne videar oblitus modestiæ viro ingenuo dignæ, ridiculas ethnicæ superstitionis reliquias dilucidaturus, pudicas aures dictis violare; priusquam illarum expositionem aggrediar, pauca tum de scriptoribus, qui similes protulerunt, tum de utilitate, quæ ex veterum morum declaratione, pravorumque castigatione nobis redundat, delibare proposui. Ac primùm ut scrupulosis, quorum virtutem veneror, quantum in me est, satisfaciam, monendos illos censeo viros pietate illustres, moribusque integerrimis obscæna veterum Idola, in quibus eruditionis aliquid reconditum est, nec despuisse, nec ab eruditis spernenda existimasse, clarumque Sacerdotem Joannem Baptistam Casalium virtute, ac doctrinâ conspicuum æream Mutini Lucernam in suo Museo asservasse, quam deinde vulgavit in opere suo De veteribus Ægyptiorum ritibus Romæ edito, ubi hæc verba leguntur cap. 25. *Effigiandas curavi plures, ex meis Lucernis æreis, quæ varia continent symbola, nempe Canem Bovem, Sphingem, Mutinum, seu virile membrum, ac etiam Lunam, quæ est signum Dianæ.* Sed non solùm harum typos exhibuit, verùm etiam de Baccho, Priapo, Mutini Idolo, Symboloque Obscæno integra quatuor scripsit capita, IX. nempe XII. XIII. & XIV. libri de profanis Romanorum ritibus, qui supradicti operis partem alteram conficit; quarum superstitionum expositionem Catholicæ nostræ Religioni utilem arbitratur, hæc ajens in præfatione operis ad Lectorem. *At quamvis multa in epitomen redacta sint ex Aegyptiorum, & Romanorum superstitione (quorum mentes succum nequitiæ perbiberunt) non erit ab hoc, inquam, proposito abhorrens; nam ex horum detestatione magis veritas Catholicæ Religionis roboratur.* Quin etiam Joannes Macarius Canonicus Ariensis Abraxam seu

Apistopistum, & Joannes Chiffletius Canonicus Tornacensis Philippo Quarto Regi Catholico, & Serenis. Principi Joanni Austriaco à sacris Oratorij Abraxam Proteum, seu multiformis gemmæ Basilidianæ portentosam varietatem exhibuerunt, suisque eruditis notis illustrarunt Censoribus, ac Superioribus annuentibus Antuerpiæ impressis, in quibus varia simulacra virilibus erectis conspiciuntur. Similiter Fortunius Licetus in libro De reconditis Antiquorum Lucernis pudibundas aliquas Lucernas protulit, quarum explicationes *ad emendationem, & ad exemplum, ne veteres improbitates noceant præsentibus Lectoribus*, se aggressum esse profitetur. Sic etiam Leonardus Augustinus recolendæ semper memoriæ Alexandri PP. VII. Antiquarius inter suas gemmas, quas Romæ Superioribus, ac studiosis omnibus plaudentibus edidit, eidemque Summo Pontifici dedicavit, plurimas vulgavit, phallica sacrificia, necnon Mutini, & Abraxæ imagunculas referentes, quod opus litteratis adeò pergratum fuit, ut ab annis tribus vel circiter denuò Romæ prælo excussum fuerit. Vanum, ac superfluum foret alios modernos authores recensere virtute, ac doctrinâ præstantes, qui similes imagunculas exhibuerunt, abditumque illarum sensum mysticis involutum hieroglyphicis suis eruditissimis notis dilucidaverunt: Arnobius quoque, Lactantius Firmianus, Minutius Felix, D. Augustinus, alijque sancti Patres obscænos veterum mores retulerunt, falsorumque numinum simulacra quibuscumque scrupulis ex animo evulsis descripserunt. Quippe profana illa priscæ superstitionis monimenta, turpesque illæ imagines, quas ethnico errore cæcutientes populi adorabant, eò magis sanctissima nostræ Religionis mysteria summo cultu, summâque veneratione digna prædicant. Unde Theodosius Imperator idolatriæ reliquias volens suis acerrimis, & justissimis edictis extirpare, fœdiores Idolorum statuas conservari, palamque collocari jussit, quod Theophilus Alexandriæ Præsul Imperatorijs mandatis obtemperans laudabili studio, ac diligentiâ geri, & perfici curavit. *Hanc potestatem nactus Theophilus* (inquit Socrates lib. 5. Hist. Eccles. cap. 16.) *plurimus in eo erat, ut Gentilium mysteria ignominiæ exponeret, & Mithrion quidem repurgavit, Serapion verò subvertit: Mithrij mysteria homicidiorum gratiâ detestanda publicè ostentavit: Serapidis verò, & aliorum planè ridicula ostendit, Priapos per medium forum asportari jubens.* (Et deinde) *Subversa sunt itaque templa, statuæ verò in ollas, & alios Alexandrinæ Ecclesiæ usus, Imperatore Deos ad sustentandos pauperum sumptus largiente. Cunctis itaque Dijs confractis Theophilus unam statuam cujusdam Dei integram servari jussam publicè prostituit, ne tem-*

ne temporis progressu Gentiles tales se Deos adorasse negarent: quam rem Ammonium Grammaticum vehementer molestè tulisse scio dicentem, quod statua illa non esset unà cum alijs conflata, sed ad deridendam Gentilium religionem servata. Audiendus quoque Sozomenus similia narrans lib. 7. ejusdem Hist. Eccles. cap. 15. *Sub id temporis Alexandrinus Episcopus templum Bacchi, quod Alexandriæ erat, in Ecclesiam mutavit. Dono enim illud ab Imperatore petitum acceperat. Expurgatis autem simulacris illius, & adytis apertis, datâ operâ Paganorum mysterijs illudebat, & spectacula illa, Priapos etiam, & si quid aliud in illorum adytis absconditum erat, quod ridiculum esset, vel videretur, proponebat, ac in publicum ostentandi gratiâ proferebat.* Si tantam Catholicæ Religioni utilitatem solo aspectu fœdæ illæ imagines attulerunt; quidni hasce nostras deformes priscæ Idolatriæ reliquias proferre licebit? quæ ridiculas veterum Paganorum nugas, & superstitiones risum meritò concitantes proponunt. Sed diutius in istis immorati sumus, nunc ad brevem, & modestam imaguncularum expositionem progrediamur.

Priapum præ Dijs cunctis venerabantur Lampsaceni teste Pausaniâ in Bœotic. Libero patri è Venere genitum dictitantes. Scribit Isidorus lib. 8. Orig. cap. 11. illum è Lampsaco Hellesponti Civitate, ubi natus erat, ob nimiam pudendorum magnitudinem pulsum, quorum deformitatem tantam fuisse narrat Lactantius lib. 1. ut inter eum, & Sileni Asinum pro illorum magnitudine ortum fuerit certamen, unde vocatur à Columella Deus terribilis membri. Hortis præesse credebatur propter eorum fœcunditatem, quia horti numquam sunt sine aliquibus fructibus, eaque de causa in illis ponebatur Ithyphallus, ut docet idem Columella in Carmine de hortis.

. . . . . . : Sed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ityphalli.

Credebatur etiam fures ab illis arcere, necnon aves fugare; hinc Virgilius lib. 4. Georgic.

Et custos furum, atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Sic apud Catullum ep. 20. Populeus Priapus.

Ego hæc, Ego arte fabricata rusticâ,
Ego arida, ô viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinistrâ tutè quem vides
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.

Horatius quoque lib. 1. Sat. 8. Priapum Deum custodem hortorum sic inducit loquentem.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cùm faber incertus scamnum, faceretne Priapum,
Maluit esse Deum; Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coërcet,
Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus:
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa: vetatque novis considere in hortis.

Præses etiam dicebatur generationis, idem enim habebatur cum Sole, Deus autem & Sol, teste Philosopho, omnia generant. Ridiculum sanè, sed eruditum hujus monstrosi Dei simulacrum asservatur in Museo Eminentiss. Cardinalis Chigij: cristam Galli habet ille capiti impositam, & pendentem è mento, stat veretro erecto, dextrâ crumenam tenens, lævâ campanam. Caput ejus cristatum est more Galli, quoniam hoc animal calidæ, & alacris naturæ perhibetur, maximéque ad coitum, & libidinem proclive: Gallinaceum Soli sacram avem existimatam fuisse narrat Pausanias in Eliac. pr. quòd cantu Solis reditum nuntiet. Pudendum ei appositum est ad denotandam generationem; etenim præses generatricis facultatis dicitur ille apud Suidam. Campanam sinistrâ manu tenet, quâ forte innuuntur clamores in Bacchi orgijs fieri soliti, unde dictus est πρίηπος, quasi βριήπυος, idest, *latè sonans, clamosus*; Priapus enim idem cum Baccho, siquidem in Bacchanalibus phallum ex collo suspensum gestabatur, cujus pompam Melampus in Græciam introduxit, teste Herodoto in Euterp. Plutarchus lib. de cupid. opum describens sacram Bacchi pompam amphoram vini cum palmite, hinc Hircum, quem trahebat aliquis, pòst cistam nucum, & phallum recenset. Hujus superstitionis originem vide apud Eusebium lib. 2. Præp. ev. cap. 1. Arnobium lib. 5. adv. Gent. & Æliam Cretensem. Crumena, quam hæc imaguncula dextrâ gerit, forsan innuit sumptus ad Venerem excitandam, proindeque ad generationem necessarios esse, juxta illud Terentij in Eunuch. *Sine Cerere, & Baccho friget Venus*. Potest quoque ad Ovidianam Danaës fabulam referri, nam, ut ait Tibullus lib. 1. el. 5. *donis vincitur omnis amor*. Priapus etiam apud Veteres pro Mercurio, siquidem multæ videntur Hermæ virilibus erectis in modum Priapi, at Mercurius crumenam gestans vulgò repræsentatur. Aurum apud Phœnices erat potentiæ symbolum, si fides Georgio Codino de Orig. Constant. unde isti populi Deos suos fingebant gestare aurea marsupia. Ἀλλὰ καὶ οἱ φοίνικες τοῖς θεοῖς αὐτῶν πλάττουσιν ἐπιφέροντας βαλάντια χρυσᾶ. ὡς τοῦ χρυσοῦ συμβόλου ὄντος δυναστείας.

Priapus

Priapus in numerum Deorum à Græcis translatus Mutinus dictus 1
est, teste Lactantio lib. 1. sed in base cujusdam imagunculæ caput ha-
bentis gallinaceum cum pudendo vice rostri apposito nobilior inscri-
ptus est titulus, nempe ΣΩΤΗΡ ΚΟΣΜΟΥ. CONSERVATOR
MVNDI. Gallum Soli sacram avem diximus, Sol autem generatri-
cis facultatis præses habetur: pudendum gallinaceo capiti appositum
est, quòd homo unà cum Sole ad generationem perficiendam concur-
rat, juxta illud Aristotelis lib. 2. Physf. cap. 3. *Homo hominem gene-
rat, & Sol.* Et sic uterque genus humanum ex se mortale continuâ
generatione, vt loquitur idem Philosophus lib. 2. de gener. & corrupt.
cap. 2. perpetuum, & immortale reddit, MVNDIque CONSER-
VATOREM se præbet.

Sequitur aliud Mutini simulacrum in similitudinem Hermæ, seu 2
Termini Ithyphalli, caprinis auribus, & erectis in fronte cornibus, ca-
pite tutulato tæniâque redimito, erecto veretro, utrâque manu latera
comprimentis. Deos omnes ad Solem referri docet Macrobius lib. 1.
Saturn. cap. 19. Hermisque, sive Mercurij simulacris statu quadrato
figuratis, erectis virilibus, soloque capite insignitis significari Solem
mundi esse caput, & rerum satorem, omnemque vim eius non in mi-
nisterio membrorum, sed in sola mente consistere; quatuor etiam
lateribus innui totidem plagas mundi, aut quatuor vices temporum,
vel duo æquinoctia, totidemque solstitia. Mutinum eumdem esse cum
Sole, & Mercurio diximus. Ejus simulacrum tæniâ coronari scribit
Tertullianus lib. de Cor. Milit. cap. 7. Modium, sive tutulum capite
sustinet abundantiæ, & fœcunditatis signum, quarum præses crede-
batur: erat etiam tutulus Genij Tutelaris symbolum, Priapus au-
tem Genius mulierum habebatur, siquidem ejus virilia præcipuè cole-
bant fœminæ ad fœcunditatem sibi procurandam, phallaque tum ex
ære, tum ex auro, vel argento de collo suspendebant, & alia in an-
nulis expressa gerebant, quæ passim in museis observantur. Sic etiam
sponsæ ad avertendum fascinum super ejus scapum sedere jubebantur,
fortassis quòd hæc membri difformitas fascinationem crederetur ar-
cere, ut ait D. Augustinus lib. 7. cap. 24. sive juxta mentem Lactan-
tij lib. 1. ut illarum pudicitiam prior Deus delibasse videretur. Sca-
pus ille Mutini auritus hìc repræsentatur; auris picta apud Horum 3
Apollinem lib. 2. Hierogl. 22. futurum opus significat, Ακοὴ ζωγραφουμένη,
μέλλον ἔργον σημαίνει. Opus autem sponsorum quid aliud est, quàm sobolis
procreatio, quæ hanc obscœnæ superstitionis cærimoniam proximè
subsequebatur.

En aliud

4 En aliud ridiculum ſaltatriculi Priapi ſignum utrâque manu crotala geſtantis, ad quorum ſonum ſaltat ille laſcivos edens geſtus more Gaditanorum, ut loquitur Martialis; ſic etiam Virgilius in Copa.

Criſpum ſub Crotalo docta movere latus.

Crotalum propriè erat ſciſſa arundo, quæ manibus quaſſa ſonabat: peculiare fuiſſe hoc inſtrumentum Priapi feſtis docet idem Virgilius in Priap.

Cymbala cum crotalis, prurientiaque arma Priapo
Ponit, & adductâ tympana pulſa manu.

Antiquum marmor in Romanis Antiquitatibus vulgatum mulierem ſaltatriculam exhibet crotala geſtantem: Crotaliſtriæ dicebantur fœminæ his inſtrumentis utentes, quæ vulgò in convivijs, ac comeſſationibus admittebantur ad recreandos, & exhilarandos tum ſonis, tum ſaltationibus convivarum aures, & oculos, de quibus conſule Juvenalem, & Martialem.

5 Membra genitalia apud Veteres præcipuè colebantur, ſi fides Euſebio lib. 2. Præp. ev. cap. 1. quoniam ad generationem neceſſaria ſunt, & per ea ſpecies animantium conſervantur, & propagantur: vnum hic exhibetur τὸ πρὸς περὶ τὴν ἐργασίαν ἀνασταθὲν ἔχον, alatum quidem, quòd ad generationem perficiendam ſit paratum, per alas enim forma quædam omnium penetrativa, ut loquitur Kircherius, ſeu velox generatricis facultatis potentia indicatur. Luna creſcens phallico imminet capiti eâ ratione, quòd illa, teſte Macrobio lib. 1. in ſomn. Scipion. cap. 11. *ſit mortalium corporum & author, & conditrix: adeò ut nonnulla corpora ſub luminis ejus acceſſu patiantur augmenta, & huic decreſcente minuantur.* Quàm ſententiam Clemens Romanus Pontifex lib. 8. recognit. ad Jacob. fratrem Domini confirmat his verbis. *Similiter autem & Lunæ curſus, atque hæc, quæ imperitis videtur inordinata permutatio, incrementis frugum, & pecudum, omniumque animantium commoda eſt: augmentis enim ejus, detrimentisque mirâ quadam providentiæ arte omne, quod gignitur, alitur, & creſcit.* Luna quaſi alter Sol minor, juxta mentem Ariſtotelis lib. 4. de generat. Animal. cap. 10. conducit ad omnes generationes, & perfectiones. Omnem corporis humani ſubſtantiam ad poteſtatem lunaris numinis pertinere ſcribit Firmicus Maternus, cuncta enim animantia corpora & concepta procreat, & generata diſſolvit.

6 Elegantem hanc Lucernam imaginem alati penis habentem Soli, Baccho, Iſidi, Mercurio, & Marti dicatam fuiſſe non abſurdum erit dicere. Soli, quia præſes habetur generationis, ut diximus; alæ autem velocem generatricis facultatis potentiam indicant. Baccho


propter

propter phallum in ejus pompa præferri solitum, de quo suprà. Isidi ob historiam pudendi Osiridis à Plutarcho in Opusculo de Is. & Osir. & à Diodoro lib. 1. cap. 2. relatam. Mercurio, quia, ut docet Plotinus En. 3. lib. 6. cap. 19. veteres hunc Deum virilibus erectis repræsentabant, indicantes virum sapientem fœtus scientiæ in animis auditorum doctis sermonibus generantem; verba autem apud Homerum Odyss. lib. 1. vers. 122. dicuntur alata, unde hoc veretrum alis præditum exhibetur. Ex quibus conjectare licet hanc Lucernam arsisse vel in aliquo Mercurij delubro, vel in tumulo cujusdam viri sapientis: quod etiam de Marte, & homine bellicoso dicendum, siquidem antiquitus membrum genitale erat symbolum magnanimitatis, si credendum Valeriano lib. 34. illudque obeliscis, columnis, alijsque monumentis insculpebatur. Sed quidni credere liceat hujuscemodi Lucernam in aliquo Veneris lasciviæ Deæ fano, vel in lupanari suspensam fuisse? Etenim Lucernæ in lupanaribus accensæ prostitutas hìc esse mulieres indicabant; quia, ut scribit eruditiss. Lipsius lib. 1. Elect. cap. 3. sub vespera tantum horâ videlicet diei nonâ meretricibus corpore quæstum facere licitum erat. Hunc Lucernarum in prostibulis accensarum morem confirmat Tertullianus lib. 2. ad Uxor. loquens de Christiana muliere ab Idolatris ad libidines provocata. *Procedet de janua laureata, & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum*. Quæ consuetudo Lucernas ritu ethnico publicè accendendi Canone XXXVII. Concil. Eliberini prohibetur. *Ne Lucernas publicè accendant Fideles*. Perpetuam & inextinguibilem fuisse hanc Lucernam patet ex unico ejus foramine proculdubio papyro ardenti destinato, unde illam vel in delubro suspensam, vel in tumulo positam fuisse autumo.

Mens erat Sectionem aliam *De antiquis rebus sacris* his quinque præmissis subtexere; sed cùm Illustriss. Joannes Ciampinus in suo libro *De Azymo & Fermentato* tria *De sacris profanisque Calicibus*, *De sacris Indumentis*, necnon *De sacrarum Imaginum usu*, *earumque veneratione* opuscula quamprimùm edere polliceatur; ne videar eadem hìc proponens viro summæ doctrinæ rei novitatem auferre, eruditiori ejus calamo locum, vt par est, libenti animo cedens taceo.



PRIAPVS
ΣΩΤΗΡ
ΚΩΣΜΟΥ
Apud Ill.mum Raph. Fabrettum

PRIAPVS




Apud M.A. Causeum, De la Chausse

AVRITVS MVTINI SCAPVS 8




Apud Ill. Raph. Fabertum


PRIAPVS SALTATRICVLVS 4
Apud Io·Petrum Bellorium


PHALLVM ALATVM 5
In museo Io. Petri Bellorij

LVCERNA MVTINI ALATI



Apud E.P. Burghesium.

INDEX
RERUM, AC VERBORUM MEMORABILIUM.

Ordine Alphabetico.

Q *Genius*

B

D

Pro

E

F

Flo-

G

H

Juno

M

N

O

P

Q

R

S

T

Vanitas

V

Z

ADDENDA.

PAg.9. lin.9. (lib.15.) Aures acutæ,& arrectæ Sileni,& Satyrorum propriæ ſunt: Illum è Satyrorum numero declarat Pauſanias in Atticis ajens maximos natu Satyrorum Silenos nuncupari. Ovidius quoque Silenum Satyrorum patrem vocat lib.3. Faſtor.

Ebrius ecce ſenex pando delapſus Aſello,
Clamarunt Satyri: ſurge age, ſurge Pater.

Pag.81. lin.17. (cap.21.) Hoc pulcherrimum Siſtrum ex ære repertum viâ Aureliâ in ſuburbana villa Illuſtriſs. Laurentij de Corſinis extat penes D. Leonem Strozzam, qui nobiliſſimum ſuum ingenium non modò in amore antiquitis cruditæ, ſed & in optimis, ac ſublimioribus quibusvis ſtudijs oblectat, & in cujus ſplendidiſſimo Muſeo rariſſima tum antiquæ tum modernæ magnificentiæ monumenta cuſtodiuntur, & maximè aurea priorum duodecim Cæſarum numiſmata, quorum icones æneâ inciſas tabulâ publicæ curioſitati ſummâ benignitate nuper elargitus eſt.

EMENDANDA.

Pag. 4. lin. 21. ὅπ, *lege* ὅτι. 5. 4. Ἀθλωῦα, *lege*, Ἀθλωυᾶ. 7. 34. διὰ, *lege*, διὰ. 7. 35. ὀνειέρατων, *lege*, ὀνειράτων. 12. 23. ſuperiori ſeculo, *lege*, ſuperioribus annis. 21. 16. αἰλαγόνες, *lege*, αἰλαγόνες. 26. 37. ἐπέρ χεται, *lege*, ἐπέρχεται. ibid. 39. παράσσει, *lege*, παράσσει. 28. 33. affabiliſtate, *lege*, affabilitate. ibid. 35. clariſſimi, *lege*, clariſſimis. 37. 19. Ποσειδών, *lege*, Ποσειδὼν. ibid. 22. χθών, *lege*, χθὼν. 38. 7. λογίος, *lege*, λόγιος. ibid. 11. Ἑλλώες, *lege*, Ἑλλῶες. 42. 7. φερεφάτλη, *lege*, φερεφάτλη. ibid. 9. μυκμθύοις, *lege*, μυκιθμοις. ibid. 12. Ταύρου, *lege*, Ταύρου. 43. 14. ὄν, *lege*, ὂν. ibid. 15. Πέρσαις, *lege*, Πέρσαις. 45. 13. forpice, *lege*, forcipe. 51. 15. Peſuis, *lege*, Perſius. 56. 12. virbis, *lege*, verbis. ibid. 17. ἄῤῥή των, *lege*, ἀῤῥάτων. 57. 19. Μονογενές, *lege*, Μονογενὲς. ibid. 37. οἷς, *lege*, ὃις. 58. 19. οὐδέποτε, *lege*, οὐδέποτε. ibid. 40. μυγαλῆς, *lege*, μυγαλῆς. 62. 12. Ægyphos, *lege*, Ægyptios. ibid. 22. κυσί, *lege*, κυσὶ. 65. 40. quod, *lege*, quam. 66. 27. deſtructi, *lege*, deſtructo. 69. 30. *ſervare*, lege, *ſervari*. 71. 6. nummulũ æreum, *lege*, nũmulus æreus. 78. 25. εἰσίεναι, *lege*, εἰσιέναι. 94. 40. vineunt, *lege*, vincunt. 102. 34. inſerviſſe, *lege*, inſerviviſſe. 106. 20. ſedendam, *lege*, ſedandam. 114. 30. divinationis, *lege*, dominationis. 117. 30. εἰκόνας, *lege*, εἰκόνας. 124. 40. τοῖς θεοῖς, *lege*, τοῖς θεοῖς.